

OBSERVATIONUM,
AD
HISTORIAM EMBRYONIS FACIENTIUM,
PARS PRIMA,
FORMAM ILLIUS EXTERNAM, ÆTATEM ET INVOLUCRA,
METHODUMQUE PALATO FISSO MEDENDI
VEROSIMILLIMAM
SISTENS,

QUAM
MUNUS PROFESSORIS ANATOMES ET CHIRURGIE
ORDINARII
LEGITIME ADITURUS
PUBLICO EXAMINI SUBMITIT
DIE SEPT. MDCCXCVI.

JOANNES HENRICUS FERDINANDUS
AUTENRIETH,

M. D. SEREN. DUCIS WURTEMBERGIE EX AULÆ MEDICIS,

RESPONDENTE
CHRISTIANO FRIDERICO DOERNER,
DÜRRMENZENSI.

TUBINGÆ,
CITTERIS SCHRAMMIANIS.

W.W. 67
A. Smith

“Opus profecto aequa arduum, ut Harvei verbis utamur, ag-
gredimur, ac proficuum & jucundum; neque enim mi-
nore fere negotio intinia generationis arcana & obscura princi-
pia, quam mundi totius compagem & creationis modum inven-
eris. Durat reciproco hoc generationis & corruptionis ordine re-
rum aeternitas & caduae res mortalium alternis individuorum
vicissitudinibus redintegrata semper eadem specie perennant.”

Ad illustrandum hunc organici corporis ortum simpliciores
corporum vires mox insufficientes visae sunt; quae enim vis
ulla attrahens vel repellens nobis indicabit, cur hepar in dex-
tro, lien in sinistro lateat hypochondrio? cur recte inter mon-
stra referantur rarissimi illi homines, quibus dextra sunt quae
nobis sinistra? cur florum & cochlearum alia constanter a dextra
versus sinistram, alia a sinistra versus dextram contorqueantur?
Ad alias igitur admirandi operis, cui nos ipsos debemus, ratio-
nes confugiendum erat. Fessi hic alii & itineris nil reliquum
praevidentes substitere, levem, ut crediderunt, creatori operam
imponendo, corpora organica omnia uno eodemque ictu crean-
di, scatularumque in modum alterum alteri imponendi, ut fati-
sciente uno involucro appareat simile alterum. Audaciores alii
non existere, quae non viderunt, organa & creari demum,
quando apparent, virium animalibus plantisque propriarum ope,
afferuerunt. Ignotas has vires diverso quisque pro lubitu nomine
insignivit, & vestimentum vel magis nethereum, vel corporeum
magis ipsis tribuit, mox vim vocavit simplicem, mox multipli-
cem; in eo vero omnes conspirarunt, coeco quodam impetu illas
agere, donec Blumenbach medium quasi inter rationale & me-
chanicum agendi principium nisum suum formativum propone-
ret.

ret, qui ideam quasi totius formae ambitus, sibi praesentem, semper studeat ad existentiam ducere; sic ex. gr. polypi ventre fisso in latam taeniam expansi, nisus formativus, cum sentiat, se illum convolvere iterum non posse, in taeniae medio, secundum longitudinem tumidae, novum exculpere stomachum molitur, & sic ex informi fere massa veterem restituit polypum. Omuem corporeorum germinum ideam unicum hoc exemplum longe quidem removet, si vero viribus ea tribuis, quae corporis formis demis, evolutionem cum epigenesi coincidere, facile videbis; sic, ut oculus lacertae aquatica excisus succrescat, nec pes ipsius in locum veniat, necesse est, causam quandam determinantem in loco vulnerato adesse; nam alias, (quod saepissime evenit, si, nisu formativo totius corporis intacto, vulnus tantum iterum iterumque laedis,) in informem molem ex crescere noviter effusus succus. Hujus causae rationem jam ante fortuitum observatoris experimentum adfuisse, & ab hoc tantum iterum resuscitari, ex eo patet, quod simillimus novo oculus, cultro nullo adjuvante, olim in ovo formabatur, cuius formatio in matre suam sufficientem causam agnoscit, mater iterum in ava & sic porro; ut itaque epigenesis nihil sit, nisi virium evolutio, quarum natura & ad corpoream molem ratio, ut aliarum omnium, ingenium humanum, ut lux coecum, fugiunt. Nos igitur evolvi organa, ubi germina eorum conspicimus, formari, ubi nullum eorum rudimentum antea apparuit, dicemus. Quoad modum vero, quem in formando nisus formativus sequitur, maxi momenti duximus, separare ea, quae secundum leges & in animatae naturae contingere videmus, ab iis, quae virium animalium effectus sunt. Nobis visum est, nisum formativum non propria vi in corpora agere, sed methodum tantum efficere, qua communes physicae vires disponuntur. Hanc methodum, non vires ipsas homo in naturae operibus admiratur, quia cum proprio agendi modo convenit; naturam enim a minimis ad maxima, a simplicibus ad composita progredi, tempus monstrat, quod longius his, quam illis formandis impendit.

Restat,

Restat, ut indicamus, nos ad ova non attendere; mortuus ne sit embryo ante ovi secessum, nec ne? nil nostra interest; cum embryonibus solis rem habemus; quod vero non recentes omnes, sed plurimos per longum jam temporis spatium spiritu vini induratos dissecuerimus, recentiorum penuria nos coëgit. Nihilominus mensuras & proportiones partium in illis notavimus, quas dare voluimus, quamvis minus accuratas; melius tamen esse censuimus, has prodere, quam prorsus ~~omittere~~. Erit aliquando tempus, si quid videmus, ubi & minutiarum harum accuratissimae desiderantur observationes, ad enodandas naturae in omni formatione vias, sed ad hoc usque tempus occasions quoque accuratius observandi numerosiores collectae erunt. Nostra conferre ad perfectiorem futuram illam scientiarum perioduni voluimus, non olera decies iam cocta reconstituti. Hinc tantum ea, quae propria monstravit illustratio, prodere & annextere ex aliis ea, quae nostris vel lucem affundunt, vel illis juncta aliorum phaenomenorum illustrationi inserviunt, animus fuit.

Pro embryonibus nobis ad dissecandum concessis publice hic gratos nos profitemur Illustri Serenissimi Ducis Archiatro, D. Klein, cui tot tantaque jam debemus, qui omnes, quos colligit, foetus humanissime nobis obtulit, & amicissimis, D. Riecke, qui plurimos recentes comparavit, & aulae medicis, D. Hopfengaertner & D. Jacobi. Tandem & desideratissimus Closius, qui ante nos hanc cathedram tenuit, & cuius praematurum obitum omnes, qui fervorem illius in colendis scientiis & singulares ingenii vires admirati sunt, lugebunt, reliquit cum plurimis praeparatis anatomicis quosdam quoque nitide conservatos embryones, quos in hujus opusculi usum dissecuimus.

Partem primam hic sistimus, reliquas, ut occasio se offeret, vel junctas, vel singulas prodituri.

SECTIO PRIMA.

FOETUUM IN HUIUS DISSERTATIONIS USUM DISSECTORUM FORMA EXTERNA ET AETAS.

§. I.

Summas difficultates, quæ in definienda embryonum ætate occurunt, ut quodammodo amoverem, optimum mihi visum est, formam eorum externam accuratius describere, & longitudinis mensuram tempusque partus, ubi ex matris calculo innotuit, addere, ut alii expertiores habeant, ex quo rectius forsitan, quam ipse, ætatem embryonum æstiment.

Cum vero dè paucissimis matrem interrogare licuisset, nec in aliis quidem paucis calculo matrum multum fuisse fidendum, collegi, quas castiores aliorum, (præcipue Cl. Wrisbergii,) observationes inveni; impressi lineaæ, in charta ductæ, puncta pro diverso abortus tempore proprius vel longius a principio lineaæ, (conceptionis tempus designante,) distantia, erexi parallelas columnas perpendiculares super his punctis & diversam in ipsis notavi embryonum longitudinem, servata unicuique, quam tempus partus ipsi assignavit, columna. Ducta per apices harum mensurarum linea & distantia ipsius a basi columnarum usus sum ad æstimandam interpolationis ope etiam eorum embryonum ætatem, quorum sola corpusculi longitudo nota erat. Egregie sæpius ætas, quam ex sola longitudine talis delineatio dedit, quadrabat cum ætate embryonis, ex matris confessione deducenda; longitudo porro corpusculi videtur constantior, quam pondus, quovis morbo statim imminentem: nihilominus latitudo quædam in calculo necessario concedenda est, nec æquus exactiorem determinationem postulabit, quam res tantis adhuc difficultatibus pressa admittit.

Minime æquabiliter vel recto tramite linea illa, factus incrementum notans, ascendit, qualis secundum Levreti

Levreti aliorumque dimensiones fœtuum, ad certas ætates redactas, esse debet, sed curvo & serpentino quasi ductu ad altiora nititur. Cum oriens embryo subito oculis sat magnum se præbeat, ingens primæ ætatis incrementum esse, monstratur. Lentius elevari videtur secundo mense, citius tertio, in quarti principio vero restrictiori iterum pede. Post medium quarti mensis & ineunte quinto subito ingentem in altitudinem evehitur in sextum usque; ¹⁾ sexto mense absoluto lentius iterum increscere fœtus ad partus tempus usque videtur. ²⁾

a) Plures veterum memoratu dignissimas observationes inutiles reddi ætate embryonis vel male vel plane non æstimata, liquet; lineæ taliis accuratior constructio utilitatem illis omnibus restitueret. Exemplo sit Kerkringius, ³⁾ vir, cui nuperiores, illo insalutato, plura debent, ex quo accuratius evoluto plura adhuc novissima inventa depromi possent. Omnia (paucis exceptis) ipsius observata cum nuperis fere conveniunt, si fœtum ipsius unius mensis embryonem septem hebdomadum, (qualem longitudine delineationi nostræ comparata facit,) dicis, fœtum vero sextæ hebdomadis pro embryone novem septimanarum, & illum secundi mensis pro abortu undecim hebdomadum sumis. Quem tertii mensis fœtum vocat, is jam in quarti principio versari videtur; cui quatuor assignat menses, is fere solus convenit,

¹⁾ Accuratissimi Wrisberg observatio hoc facit (vide Comment. Soc. reg. Götting., 1778. Vol. I. p. 36.) qua fœtui quatuor cum dimidio pollice longo ætatem trium mensium cum tribus septimanis triquet, fœtui vero tribus septimanis adultiori quatuor alias integros pollices confert. Diversa incrementi (humani embryonis) celeritas nec ingentem in litteris Hallerum fugit vid. Elementa physiologiae Tom. VIII. pag. 372. Velox vero illud incrementum tertio tribuit mensi, non quarti fini.

²⁾ Eluet & hoc ex tabula embryorum abortivorum Wrisbergii vid. l. c.

³⁾ v. Spicilegium anatomicum, cui accedit osteogenia fœtuum. Amstelodami 1670. & Anthropogenia Ichnographia Amst. 1671.

nit, nam fœtus ipsius quinque mensium septendecim tantum septimanas, attigisse videtur, & diuidius mensis fœtui deesse, quem pro fœtu jam sex menses adulto venditat. Idem tere vitium plurimis veterum commune, diversam in embryonis incremento celeritatem negligentes ante dimidium graviditatis tempus nimis juveniles illos faciunt, circa hoc tempus ætate justo nimis profectos.

§. 2.

Embryo paucorum inde ab ovi formatione dierum.

Ovum, quod per septimanam vini spiritui inditum erat, grumoso sanguine multo exterius obductum crassitie ostendit pro magnitudine maximam, intus in cavo amnion sub forma vesiculae aqua sanguinolenta turgida libere suspensum prodidit. Aperto amnio in conspectum venit embryo brevissimo eoque crasso funiculo adnatus.

Longitudo ipsius mensuræ gallicæ $2\frac{1}{2}'''$, crassitie in medio diameter tertiam fere longitudinis partem æquabat. Clavæ altero fine obtuse, altero acutioris formam exhibuit; utraque extremitas versus funiculum incurvata erat. Obtusam latere interno transversa impressa linea a corpore sejungit, colli vel juguli futuri principium, latere in opposito vel margine corporis externo tuberculum in curvatura occurrit, leve tuberis futuri nuchalis rudimentum. Caput trunco non majus visum est, vitro ampliatum nil nisi lineam subtilissimam, impressam, transversim per faciem excurrentem, exhibuit, cæterum ubique æquabile. Corpus capite parum longius videtur; tenuis ipsius curvata extremitas inde a funiculi umbilicalis insertione caudæ embryonis futuræ speciem jam exhibere visa est. Undique clausum corpus nullas appendiculas monstrabat.

a) Minores hoc embryones ab Hallero ⁴⁾ enumerati, a Ruyschio ⁵⁾ depinguntur. Licuit mihi minorem quoque in egredia

4) I. c. pag. 70.

5) Thesaurus anatomicus sextus Tab. II. fig. 1. D.

gia embryonum collectione archiatri nostri D. Reuss (qui jam hac in physiologie parte observationibus suis circa structuram vasorum in placenta humana inclaruit,) contemplari. Omnis vero differentia inter nostrum embryonem & minores illos eo reddit, ut minimi illi minus in longitudinem extensi fere sub tuberculi ex funiculi apice prorumpentis forma appareant, & Ruy-schii embryo rectus, ut pulli primordium, appareat, noster jam curvatus. Caeterum eadem simplex forma. Patet hinc supra descriptum embryonem nec ultima primordia, quae oculis percipiuntur, monstrare, nec longo tempore ab his distare.

Producta retrorsum per apices columnarum, quae longitudes tenellorum embryonum, nostro tamen majorum, continent, linea, aetas hujus homunculi ex longitudine ipsius desumpta cum trigesimo primo a conceptione circiter die coincideret. Baudelocques embryones magnitudine formicae communis vidit altero fine acutos, altero obtusos, clavatos, curvos; matrum altera quatuor septimanas, altera quiunque jam utero se gerere credidit.⁶⁾ Verosimile hinc est integras quatuor septimanas latere rudimenta foetus humani. In damis saltim, quibus idem fere ac homini gestationis tempus est, postridie diei, ubi primo punctum saliens apparuit jam vermiculus seu galba in formis (nostro embryoni similis) conspicitur.⁷⁾ Pullo, damae foetu toties minori, idem fere tamen tempus necesse est, ut ex punto saliente excrescat in galbae speciem.⁸⁾

b) Magnus Harveus⁹⁾ "damas & cervas per mensem integrum (atque etiam amplius) a coitu nihil sensibile in utero habere, quodam tamen velut contagio affectas tumorum instar primordia conceptus producere" afferit. Oves, quae tantum 154. dies utero gerunt, ne vestigium ovi ante diem

decidi-

6) Anleitung zur Entbindungskunst mit Ann. von Meckel. Leipz. 1782. Th. I. pag. 148.

7) Harvei exercitationes de generatione animalium. Amstel. 1651. pag. 299.

8) l. c. p. 65. 71.

9) l. c. p. 297.

decimum septimum ostendunt¹⁰), & cuniculi, qui vigesimo nono vel trigesimo die nascuntur integros tres dies a coitu sine ovo rum in utero rudimento transigunt, si fides observationibus Reneratori de Graaf¹¹) habenda est.

Hinc majora saltim inter mammalia lex videri posset: Solius ovi formationi nonam circiter totius gestationis temporis partem impendi. Egregie in homine principium quintae septimanae cum periodo, ubi hanc secundum legem embryo primum apparere deberet, quadraret, nam ante ovi formationem embryonem non comparere, liquet, & post ovi formationem embryonis apparitionem non multum tardare, ex eo forsan colligi potest, quod in ove duobus post ovi primordium diebus jam vermiculi ad instar apparuerit embryo.¹²) Insuper ex supra accersitis exemplis verosimile videtur naturae ad evol venda embryonis certum in gradum organa, ubi in omni animali vermiculi sub forma apparet, fere ubique eodem tempore opus esse, ut & ante & post hanc periodum praeparatio ad formationem & evolutio formae accelearentur vel retardentur.¹³)

c) Memoratu dignum videtur eandem periodum, quae verosimiliter ad ovum exstruendum in homine requiritur & periodum menstruorum in femina esse. Opinio, circa menstruorum tempus feminas facilius concipere, huc facere videtur.

§. 3.

¹⁰) Kuhlemann dissertatio exhibens observationes quasdam circa negotium generationis in ovibus factas. Goett. 1753. p. 27.

¹¹) De mulierum organis generationi inservientibus cap. XVI. Opp. omu. Lugd. 1678.

¹²) Kuhlemann l. c. p. 49.

¹³) Objici posset secundum Harveum, denum post decem ab ovi formatione dies embryonem apparere vid. l. c. p. 295. 297. sed observandum est, ipsum pag. 295. dicere, cervas sex septemve dies prius coire, quam damas: quando igitur ovi primordium in cerva & foetus primordium in dama instrasset, necessario pro decem intervalli diebus tres tantum ponendi essent.

§. 3.

Embryo quadraginta et unius inde a conceptione dierum.

Ovum, cuius major diameter longitudine sesqui pollicis erat, embryonem ex brevissimo eoque crassissimo funiculo suspensum continuit. Ad insertionem funiculi inter amnion & chorion vesicula umbilicalis aderat inaequaliter ovata, altero fine acuminata, impellucida, alba.

Foetus (convolutus) leniter extensus $5\frac{2}{3}'''$ longus erat. Caput a vertice versus nucham longiusculum, vertice subobtuso erat: inferior maxilla globo capitis accumbens cum illo cavum oris formabat rictu magno. Annulus parvus nigricans inferiore & interno latere imperfectus, centro albido, utrinque oculum indicabat. Nasi inter ipsos nullum vestigium, vix uno in latere punctulum minimum impressum, (casu forsan ortum,) observari poterat. Porus vero manifestus, qui apertus videbatur, utrinque ad angulum oris meatum auditorium indicabat. In nucha versus dorsi principium magnum appetet tuber. Truncus, capite major, quamvis non crassior, curvatus in regione lumbari obtusum angulum format, & inferius in apicem obtusum, inflexum terminatur. Thorax & hypogastrum fornicata sunt, abdomen infra umbilicum collapsum. Propullulabant jam parvae, subturbinatae, compressae papillae ex lateribus trunci, brachiorum & pedum primordia. Pedes extremitatibus superioribus paulum minores octava circiter totius foetus longitudinis parte a trunci apice distabant.

Quadraginta dierum & unius delineatio nostra hunc embryonem fecit, quinquaginta circiter dies matris calculum ipsi tribuisse, audivi.

a) Cur angustior sit iris adulti hominis margine interno, ex seniori hujus partis, quam reliqui circuli formatione proxime explicandum esse videtur. Sic quoque in tenelli ovis oculo p̄r-

fertim superior iridis pars, (hinc a corpusculi centro aversa,) coeruleo colore circumductus est.¹⁴⁾ Et ipso in embryone humano, apem magnitudine æquante, subtilissimus Malpighi¹⁵⁾ oculorum inchoamenta sub semicirculorum nigrorum forma notat.

Embryo quadraginta trium dierum.

Diameter cavi amnii major circiter 15''' erat. Funiculus brevissimus, isque crassissimus in similem ac in priori abiit vesiculam umbilicalem.

Longitudo 6''. Truncus crassior, quam in priori; tuberculum nuchale majus, sed minus distinctum erat. Artus superiores melius conspicui, & manifestius jam discrimin inter papillæ extremitatem sublenticularem & basin ipsius erant. Extremitates inferiores superioribus luculenter minores sunt.

Longitudo embryonis ætatem ipsi tribuit quadraginta trium dierum.

Embryo quadraginta quatuor dierum extremitatibus superioribus monstrosis.

Embryo per longum jam tempus spiritu vini conditus, Longitudine 6 $\frac{2}{3}$ ''' erat. Caput longiusculum, vertice obtuso, oculos monstrabat oris rictui vicinos, integumentis, sub forma parvorum, nigricantium, integrorum circulorum, inscriptos, qui superiori inferiorique parte lineola integumentis impressa cancellati erant. Nasus nullum adhuc vestigium aderat. Tuberculum nuchale apparuit. Capite reclinato maxilla inferior pectori adhaesit, a crânio direinta.¹⁶⁾ Truncus curvatus brevi, obtusiusculo eoque

14) Kuhleman l. c. pag. 51.

15) Opera posthumæ. Amstel. 1698. pag. 116.

16) Et in prius descriptis embryonibus levi capitis motu finditur facillime jugulum & pectus aperitur. Hinc quidam incautiiores observatores tenui collum embryonibus hujus ætatis tribuunt. vid. ex. gr. Schurigii Embryologia. Dresden 1732. pag. 30.

eoque infexo apice terminatur, cui vicinus funiculus umbilicalis, sat crassus, inseritur. Inter funiculum umbilicalem & coccygis prominentiam tuberculum valde exiguum apparuit, futurorum genitalium primordium. Artus inferiores (vitiose, ut videatur,) superioribus hic majores, ex basi compressa crassiusculam papillam lenticularem, colore magis flavescente praeditam, protrudebant, superiores vero artus ex simili basi in latere dextro punctulum solummodo flavescens. Quæ saepius occurrit manum digitorumque mutilatio, jam in gernine hic adfuisse videtur.

Aetatem die uno circiter auctiorem, quam prioris embryonis, longitudo delineationi nostræ adhibita monstravit.

b). Artuum primordia in embryone intra trigesimum quintum & quadragesimum diem¹⁷⁾ non solum, qui accuratiores inter nuperos observatores¹⁸⁾ sunt, sed etiam veterum aliqui¹⁹⁾ ponunt. Harveus²⁰⁾ in foetu, qui longitudinem unguis digiti auricularis, (hinc circiter quinque lineas parisienses,) æquabat, crura & brachia ceu florum apices noviter protrusos vidit; quæ omnia & ratione temporis & longitudinis embryonum cum nostris quadrant observationibus.

In damæ foetu die quadragesimo primo vel secundo a conceptione, si hanc ad finem coeundi temporis, quod integrum mensem durat, ponas, artus jam melius, quam in supra descriptis humanis embryonibus formati sunt.²¹⁾ Eadem hinc temporis, quæ in homine, quæ inter sextam septimamque totius gestationis media est, pars absumi videtur,

B 2

prius-

17) Baudelocques l. c. p. 149. Vespæ magnitudine foetus describit, quorum caput dimidium totius massæ sibi sumens os oculosque monstravit, & quorum extremitates tantum fere in manu & pede extremo constare videbantur; matrum altera sex hebdomades, altera septem se gravidam esse dixit.

18) vid. Haller l. c. p. 72—74.

19) vid. Riolani filii Anthropographia & Osteologia Francof. 1626. p. 621.

20) l. c. p. 303.

21) Harveus l. c. p. 299.

priusquam formentur artus. Et in ove, cui vigesima secunda circiter die ²²⁾ prorumpunt artus, hæc valet lex.

c) Minora mammalia pro ratione termini gestationis longe majus tempus extremitatum protrusioni impendere, ex cuniculo appetet. Regner de Graaf ²³⁾ duodecimo demum a coitu die artuum primordia vidit. Natura non æquali divisione dimidio semper tempore perficere posse organon dimidiæ magnitudinis videtur; & descendendo ad formationem minorum animalium, tempus, illorum formationi impensum, productum esse ex aucta celeritate minori mole minus retardata, addita stabili alii termino, quasi ad tales, (ex. gr. extremitatum,) formam producendam absolute necessario. Hinc quo brevius totius gestationis tempus animali minori contigit, eo majorem hujus temporis partem hæc organorum omnibus communium evolutio sibi sumere videtur.

d) Facile est intellectu, breviore semper animalibus subinde minoribus partus tempore obtingente, tandem ulteriori perfectioni nihil temporis supereffe, & cum organa ipsa quoad evolutionem certa serie se excipient, & unicuique, ut brachiorum crurumque evolutioni suus terminus esse videatur, necesse esse, ut per distinctos ordines minora animalia præmaturo partu oppressa imperfectiora maneant, majora autem, quæ in utero jam non solum hos gradus percurrunt, sed & longius provehuntur, perfectiora mundum intrent. Verum ovis embryo eandem fere attingit, multo breviore tempore, magnitudinem, ac humanus foetus, priusquam prorumpant artus, ²⁴⁾ (& cuniculi, toties homine minoris, foetus jam ultra trium linearum longitudinem nactus est, quando primo extremita-

22) Haller l. c. p. 72.

23) l. e. p. 218. Suspecta mihi hinc est ovnli, eodem tempore, prima apparitio, ac in majoribus animalibus; in primis si ingens, inter ovi formationem & embryonis primordium, intervallum cum celeri hac ovi formatione comparatur. vid. pag. 216. 218.

24) Kuhlemann l. c. tab. II. fig. 4.

mitates apparent.)²⁵⁾ Hinc moles corporis ipsa variam variis in animalibus formationis celeritatem admittere videtur; ut duo inter animalia foetum ejusdem magnitudinis enitentia, alterius tempus, quod gestationi impendit, per omnes suas partes aequabiliter imminutum minorem proportionem ad molem habeat, & tamen quoad diversas suas periodos eandem, quam alterius animalis, sequatur legem. Contrariam quoque mutationem dari, ubi animalium, idem per tempus utero gerentium, alterum enititur foetum, quoad molem altero longe minorem, & tamen quoad formae diversas periodos & absolutum illis impendendum tempus illi simillimum, varietates ejusdem animalium speciei docent; canes ex. gr. melitenses, molossis toties minores, per idem tamen tempus, quantum scio, utero gerentes. Exceptiones tales, in serie animalium mole corporis in diversis speciebus sensim decrementum, quæ secundum legem propositam simul citius adolescere & imperfectiora esse deberent, inter animalia potius ejusdem ordinis, quam diversorum ordinum accidunt, hujus vero momenti intercessione ex parte explicarentur.

e) Genitalia cum artubus eodem fere tempore prorumpere magnus jam Aristoteles²⁶⁾ tradidit, foetum quadragesimo die, magnitudine formicæ majusculæ, omnibus partibus discretis, etiam genitalibus enatis esse, scribens. Et eodem tempore in cervæ & damæ foetu pedes formati & sexuum discrimina visa sunt.²⁷⁾

f) Nasum externum vel potius totam oculis exceptis faciem & auriculas tardius formari, & alii testantur. In foetu humano quinquaginta circiter dierum, longitudine fabæ majusculæ, auriculae nullæ neque item nasus erant, penis vero rudimentum discernere licuit.²⁸⁾ Riolanus in foetu, bombycem magnitudine

²⁵⁾ de Graaf l. c. tab. 26. fig. 9.

²⁶⁾ Historia animalium. L. 7. cap. 3.

²⁷⁾ Harv. l. c. p. 299.

²⁸⁾ l. c. pag. 303.

dine æquante, nil nisi spatium naso destinatum inter oculos observavit.²⁹⁾ Et in pullo gallinaceo, (in quo maxilla inferior longe quoque ante superiore prodit,) transacto triduo jam apparent crurum & alarum inchoamenta, & demum sexta superata die rostri primordium.³⁰⁾

g) Simplicissima tandem forma, sub qua artus protruduntur, omni organico corpori communis esse videtur: planta eodem modo colliculi sub forma a basi juniori semper longius protrusi, excrescit³¹⁾, & polypus totus, & hominis extremitates & forsan integer ipse hoc modo nascuntur (confer §. 2. not. a). Ut polypus, ut embryo humanus certum ad gradum erectus separatio nem a matre molitur: sic quoque, extremitatibus magis protrusis, anterior ipsarum pars a basi sejungere se velle videtur, sed cohibitus nil, nisi articulum cohærentem format.

§. 4.

Embryo quinquaginta duorum dierum.

Embryo sex abhinc diebus spiritu vini asservatus, 10'' longus. Caput, trunco crassius, duas circiter longitudinis partes quintas sibi sumit. Tuberculum nuchale cranio arctius junctum, elongatum dependens quasi occiput format. Os ingens; os inter oculorumque circulos regio nasalis plana adhuc, quasi truncata, punctulis tamen duobus impressis jam insignita erat. Foraminulum luculentius utrinque cantho oculi interno insculptum erat, canalis lacrymalis primordium. Auricularum loco prorupit angulo oris vicinum, parvum, planiusculum tuberculum, medio parva, secundum longitudinem ducta, incisura notatum. Abdomen abrupto funiculo umbilicali apertum inferius genitale muliere facile observandum exhibuit, rimam in subovato, elevato tuber-

29) Harveus l. c. p. 653.

30) Malpighi Opera omnia Lugd. Bat. 1687. Tom. II. p. 59. 60.

31) vid. Wolfii, viri, quem ipse Hallerus quamvis adversarium plurimi se scire, toties confessus est, Theorie von der Generation. Berlin 1764 p. 192.

tuberculo monstrans; apertura alia vix observanda ad basin processus coccygis protuberantis anum indicabat. Artus superiores jam articulationem cubiti & digitorum divisiones monstrabant; inferiores minores erant, pedem quidem distinctum, vix vero flexionem genu, nec digitorum divisiones exhibuerunt.

Delineationi adhibita longitudo hunc embryonem quinquaginta & duorum dierum fecit; calculus matris quodammodo probabilis quinquaginta circiter sex dies ipsi tribuit.

Embryo quinquaginta trium dierum.

Embryo, jam longum per tempus spiritu vini circumfusus, vix dimidia linea parisiensis parte priori longior erat. Male tractatum compressum accepi. Oculi & hic solummodo sub forma nigricantium, in cranii lateribus depictorum, albam pupillam includentium circulorum apparuere. Genitale foemineum, tuberculi sub forma apparens, & hic visum est. Coccygis apex prominuit; superiores artus digitorum divisiones jam manifestas monstrarunt, inferiores extremitates, superioribus minores, vix margine pedis extremo crenatae fuerunt.

Unico die hic fœtus ætatem prioris embryonis superare videbitur.

a) Cavum oris adesse ante formationem maxillæ saltim superioris, meatum auditorium ante auriculæ formationem, narium vestigia ante nasum & tam magnos lachrymales ductus ante formationem palpebrarum & punctorum lachrymalium; majorem naturæ soleritiam indicare videtur circa formationem canarium, qui utroque fine hiant: ut lachrymalis in oculorum superficiem & narium cavum; cavum narium in faciem & fauces; auris meatus in narium cavum & auriculas, (nisi tenuissimam tympano prætentam membranam adducere in contrarium velis); & canalis alimentaris in superficiem faciei & trunci extrellum aperta sunt. Longe serius cœci efformantur facci, sinus frontales, maxillares &c. Alias partes fere solummodo evolvi, alias ex integro nasci,

sci, dicere amares, quo longius tempus hujus generis observationibus indulges.

b) Digitos exsudatione organicæ materiei in margine manuum pedumque, sub forma distinctorum colliculorum, produci, (ex Cl. Wolfi sententia³²), crenato margine pedum embryonis, postremo descripti, firmari videtur; verum digitorum sub acute latitans divisio, tempore, quo extrinsecus nondum conspiciuntur, (de quo infra sermo erit); manum digitu subito apparentes, pro ratione manus prælongi; carpi latitudo statim post digitorum divisionem multo brevior, quam ante³³), suspicionem movent, digitos potius ex integra compressa extremitatum papilla (saltim in manu,) findi, quam integros in margine excrescere. Annon verisimilius id sit ex eo, quod in specie animalium una eademque digiti pedum mox liberi, mox basin versus membrana ligati appareant. Cani familiari id accedit secundum egregium observatorem Blumenbach³⁴), qui varietatem ex Insula Americæ, terra nova, apportatam vincitos membrana digitos monstrare refert. Membrana, digitos plurium animalium jungens, natatui dicata, hinc videri posset non organum illis proprium, sed omnibus commune, in his vero progressu graviditatis non destructum. Inter minora & imperfectoria animalia majorem illorum partem, quorum pedes membrana natatoria instructi sunt, referendam esse, huc facit. Cetacea, inter mammalia facile imperfectissima, manus gerunt, (ut embryo ante digitorum divisionem,) ex compressa papilla, a bali sua incisione quadam distincta, intus sub acute digitorum divisiones monstrante.³⁵)

Wrisberg³⁶) embryonem quatuor mensium describit, cui
digiti

32) Wolff, l. c. pag. 213.

33) Conf. Wrisberg descriptio anatomica embryonis Gætt. 2764. Obs. II.

34) Handbueh der Naturgeschichte. 1791. pag. 90.

35) vid. nervosus Merk in Hessischen Beytr. zur Gelehr. u. Kunst. I. B. III. St.

36) l. c. Obs. V.

digitii adhuc membrana invicem necabantur, Schenkius & Haller³⁷⁾ similia adducunt exempla; hic a matre ad infantem membranam quasi anatinam inter pedum digitos transisse, ex Stahlio memorat, ille infantem adducit manibus & pedibus anserinis natum Verum in Wrisbergii foetu luculenter & aliæ partes, ante dividæ, iterum vitiose coaluerunt; hinc dubitandum est, arulla ex ratione evolutio digitorum fuerit retardata, an digitii janissimi iterum vitiose coaluerint. Retardata, per omnes subsequentes evolutionis periodos, abolitio protuberantia coccygis in embryone, æque parum verosimilis, verum æque difficulter a priori neganda, caudatos faceret homines, de quibus nuperius Girtanner³⁸⁾, omnia affirmantia argumento colligendo, meruit.

§. 5.

Embryo quinquaginta quinque dierum.

Foetus prioribus longe crassior, 11" longitudine, capite erat crasso, magis globoso, tubere nuchali jam a dorso remotiori. Oculi parumper jam prominent; nasi regio parum inæqualior, quam in prioribus, tamen adhuc truncata, foveolas fundo clavas exhibit. Rictus oris utrinque versus angulum descendit. Auriculæ luculentiores ex semiovato parvo tuberculo, superne cum cute adhuc confluenta & rimula secundum longitudinem fissæ, constant. Truncus torosior, quam in prioribus; anus & genitale muliebre facile distinguenda. Artus angulum fere rectum cum trunco constituunt, manus tendunt versus mentum, pedes versus umbilicum. Artus superiores totius corpusculi partem fere quintam, quoad longitudinem, constituunt, inferiores inter sextam septimamque. Manuum digitii satis distincti & magni sunt; non æque bene extrinsecus in pedibus distinguuntur; antibrachium brevissimum, humerus vix observandus.

Delineatio ætatem quinquaginta quinque dierum dedit.

Embryo

37) Schenkii Monstrorum historia Franeof. 1609. pag. 38. Haller l. c. pag. 98.

38) Ueber das Kantische Prinzip für die Naturgeschichte. Götting. 1796. p. 254—262.

nica clitoris apice subclavata, obtusiuscula, fissuram tota longitudine parietis sui inferioris exhibit. Margines hujus fissuræ superiori parte humiliores sibique invicem propiores, inferiori altiores sunt & parum magis discedunt, & nymphæ sunt ad frenulum quasi in annuli cavum se demittentes. Anus solo labiorum majorum frenulo a vaginæ orificio sejungitur, longius distat ab apice coccygis. Hernia umbilicalis funiculi, pro longitudine sat crassi, gelatinosi, & ad abdomen aliquot spirales ductus jam monstrantis, partem implevit. Artus & superiores & inferiores, iam multo melius, quam in prioribus, formati, teneri, ubique fere eadem crassitie fuerunt, superiores vero inferioribus parum longiores. Humeri deorsum, antibrachia sursum paulum flectuntur; manus ante faciem connivent, pollice utrinque nari admoto; femora sursum, tibiæ deorsum parum tenduntur, pedes extreimi eandem, quam tibiæ directionem servant, illis, ut manus antibrachio, juncti. In universum artus angulum fere rectum cum spina efficiunt. Humerus femurque eadem longitudine esse videntur; antibrachia vero tibiis parum longiora. Divaricati pedum digitii digitis manuum breviores sunt, pes vero extremus cum digitis suis, manui digitisque junctis, quoad longitudinem æqualis est.

Circumferentia capitis per frontem & occiput $17\frac{1}{2}''$; diameter a fronte ad occiput $6\frac{1}{2}''$; capitis longitudo a vertice ad mentum $5\frac{3}{4}''$; fissura palpebrarum $1''$; longitudo auricularum $1''$; cornæ diameter $\frac{5}{8}''$ erant; linea per os ab angulo uno ad alterum ducta $1\frac{7}{8}''$. Circumferentia abdominis supra insertionem funiculi umbilicalis $2\frac{1}{2}''$ minor erat, quam capitis circumferentia horizontalis; rima clitoridis ab apice ad frenulum labiorum $1\frac{1}{8}''$ longa erat. Distabat anus $\frac{2}{3}''$ ab apice processus coccygis, protuberabat hic processus $\frac{1}{3}''$. Artus superiores $6''$ longitudine, quarum $2\frac{1}{2}''$ humerus, manus cum digitis $1\frac{1}{2}''$ sibi sumserunt; undecima parte inferiores extremitates superioribus breviores erant.

Æstatem ex sola longitudine desumsimus.

a) Digitorum pedis & externi nasi incipiens formatio em-

bryones hac paragrapho descriptos distinguere videtur. Nares clausæ apparent, simulac observandas se præbent. An opercula eorum, quæ in embryonibus adultioribus tam firma & membranacea apparent pro vero organo, ut oculorum palpebræ, vel pro simplici obturatione siuegmatis ope, sint habenda, dijudicare non audeo. Manere trombum similem, tanquam constans organon ceu nares occludens valvula forsitan prius evinceret. In delphino ex. gr. valvula nares occludit, cruribus aperturæ antrorum protensis, qualem, (ut infra fusius dicetur,) trombus hic ex naribus embryonis se separans eandem verum duplum per aliquod tempus facit. Argumenta hujus generis aliquid valere verosimillimum mihi est. Ipse Hallerus, ubi de tenerrimo mucoso adhuc embryone loquitur³⁹⁾, jam eo in statu vel etiam imperfectiore plurima animalia perpetuo vivere &⁴⁰⁾ omnia quidem ex consimili vermis mucosi specie vitam ordiri, sed celeritate discriminis partium & firmitatis varia discrimina inter animalium ordines effici, asserit. Kielmayer⁴¹⁾, acutissimi ingenii vir, ex ordine, quem virium vitalium distributio in serie diversarum organisationum eundem sequitur, ac in serie diversarum evolutionum ejusdem individui, probat, eadem vi et diversas organisationum formas et ejusdem organisationis diversum vario tempore statum produci.

b) Qualia animalia melius tenerrimo embryoni respondere possent, quam marina, in simili fluido, in quo foetus vitam degit, omnem plane vitam transigentia & tarde respirantia. Embryonibus etiam adhuc tenerioribus, quam hac paragrapho descriptis, convenient cetacea, capite maximo, naso non protuberante, meatu auditorio ad angulum oris posito, omni operculo destituto⁴²⁾; loco palpebrarum labiorumque fissuris tantum in cute; narium valvula; collo brevissimo; truncu subovato; anterio-

³⁹⁾ l. c. pag. 259.

⁴⁰⁾ l. c. pag. 260.

⁴¹⁾ Rede über die Verhältnisse der organischen Kräfte unter einander. Stuttg.

1793. p. 38.

⁴²⁾ Etiam in Manati. vid. Steller Comment. nov. acad. Petrop. Tom. II.

rioribus extremitatibus sub forma papillarum haud fissarum apparentibus, posterioribus, (quæ in embryonibus quoque serius producuntur, quam priores,) ⁴³⁾ nondum propullulantibus, (in perfectioribus vicinis generibus, ut tenello in embryone, informibus); cute glaberrima; sanguinis maximæ copia ⁴⁴⁾, minus quam in terrestribus diphlogisticati; adipe præsertim sub cute & minus in interioribus collecta ⁴⁵⁾; craniø in quibusdam (ex genere Physeter L.) supra membranaceo, transversim latiori ⁴⁶⁾, cerebello non bifido ⁴⁷⁾; plexu choroideo pro magnitudine cerebri insigni (in delphiño); cavo narium nullis ossa excavantibus-sinibus prædicto, & nullo palato ab oris cavo sejuncto; lente crystallina oculorum, oris rectui vicinorum magis globosa; sclerotica, pro ratione magnitudinis oculi, præcrassa ⁴⁸⁾; pulmonibus compactis ⁴⁹⁾; (foramine ovali & ductu arterioso saltim in cognata, ratione vitæ generis, phoca apertis) ⁵⁰⁾; intestinis nondum in crassa & tenuia divisis ⁵¹⁾; liene ratione hepatis minimæ; (delphino) renibus ex renunculis conflatis & testiculis in abdomen latitantibus ⁵²⁾; quæ omnia, ut fusius in progressu

43) vid. Haller l. c. p. 369.

44) Licet hic provocare ad observationes de delphino phocæna, quas proposui in Salzb. medic. chirurg. Zeitung 1795. 3. Band p. 328.

45) Conf. de foetu humano Huber in nota Cel. Soemmeringii ad Danz Grundriss der Zergliederungskunde des ungebohrnen Kindes 1. B. 1792. p. 178.

46) Saltim in delphino, raro inter adulta animalia exemplo, modo tamen a forma crani in embryone diverso.

47) in delphino, hoc ipsi commune non solum cum imperfectiore embryone, sed & cum piscibus, avibus, minoribusque mammalibus, ut mure, sciuro, didelphide &c.

48) de balæna. vid. Ruyshii Thesaur. anat. secund. Tab. I.

49) in delphino vid. Salzb. Zeitung loc. cit.

50) Kultmus Acta nat. curios. Vol. I. Obs. V.

51) in delphino phocæna, commune hoc illi eum aliis, sed minoribus mammalibus, talpa, erinaceo, marte &c. & in cognato Manati nulla valvula coli adest quamvis crassa intestina jam a tenuibus distincta sint. vid. Steller l. c.

52) Similitudo certe non neganda inter embryonem bene jam formatum piscis
Nar-

gressu opusculi enarrabitur, tenello embryoni quoque conveniunt, & quæ junctim sumta, (id autem rationem continet, cur justo citius adducuntur,) meo judicio opprobrium debilitabunt, similitudinem scalæ diversarum evolutionum embryonis humani cum scala diversorum animalium generum, nil nisi mobilium ingeniorum phantasma esse.

c) Dari mammalia, ubi natura omnia et corporis molem, et temporis, formæ impendendi, periodos absolute auxit, iisdem forsan inter illa legibus, quæ in imminuto toto opere valent, manentibus, cetacea maxime nos docent; (minus convenienter ingentes pisces & laceræ, animalia tam imperfecta, quæ mole sua longe perfectiora tantopere superant, adducerentur; ista enim ex parvo foetu in tantam demum excrescunt magnitudinem). Delphinus phocæna, qui septem & dimidium pedem longus est, nec duplum torosi hominis pondus longitudini huic jungit, pullum, ut ex nautis scio, pedis circiter longitudine uterum ipsius secanti obtulit: hinc natus ab adulto non tantum differt, quantum ovo exclusus crocodylus ab adulto diversus est. Augusti mense, ut ipse vidi, oestro venereo agitatur, & Aprili perfectus pullus in matre inventitur; hinc gestationis tempus, ut fere moles foetus, non tantum ab humanis discrepare videtur, & nihilominus tanta moles tanto tempore elaborata plurimis notis convenit cum embryone humano non perfectiori, quam qui quadraginta post coitum diebus reperitur, quinque linearum paris. magnitudine. Num reliquum temporis in delphino nunc non amplius formæ externe evolvendæ, sed internorum viscerum, cerebri tantum quoad plurima ab imperfectionis nota abhorrentis, longi intestinorum tractus, ossificationis &c. perfectioni tribuitur? an partes, quibus

ana-

Narwal, quem Ruyschius Thesauro anat. IX. depinxit, & embryonem imperfectum humanum intercedit, si singas in illo piscis embryone maxime imperfectum statum, ubi posteriores pedes adhuc latitant, perfectiori illi junctum esse, ubi rostrum & in humano embryone quasi caninum prominet & frons propendet.

analogi nil embryo humanus adeptus est, rostrum extensum, pinna dorsalis, quadripartitus ventriculus &c. jam a primo incremento tantum virium formaticiū sibi sumfere, ut reliquæ partes mutilatæ restarent? an vero omnes hæ rationes⁵³⁾, argumento ab initio memorato junctæ, notatu dignæ illius in forma externa retardationis causæ sunt? Nescimus.


d) Magnum embryonis caput, in quo, (liceat anticipare quædam ex cerebri anatome,) par quintum fere integras medias foveas, quæ in basi cranii aliis sphœnoideis formantur, implet, constans quoque in muribus, soricibus &c. manet. Rictus oris ingens sine labiis resupinatis & fere sine buccis, quem Harveyus,⁵⁴⁾ in fœtu longitudine fabæ majusculæ, caninum vocat, (palatum in longitudinem ductum, velum embryonis palatinum horizontaliter expansum) & mentum nondum prominens plurimis convenient animalibus. Wrisbergius⁵⁵⁾ jam annotavit, femur quoque in embryonibus hujus ætatis quoad maximam partem adhuc in ventre, ut in brutis, latere, & pedem extremum eandem, quam tibia servat, porrigi in directionem, ut in omnibus, quæ digitis solummodo incedunt, animalibus; rectus fere angulus, quem extremitates in embryone cum truncō servant, eodem redit; & cauda embryonis prominens inter macilentos adhuc gluteos semicaudatis simiis quoque convenit. Infra fusius dicendum est, embryoni majorem, quam adulto, speciem duorum æriferorum saccorum in larynge esse, ut simiis sunt, & basin

53) Hæ rationes iterum partem aberrationum a regula, §. 3. not. d. proposita, explicant.

54) I. c. p. 303.

55) I. c. obs. II. Fœtum hunc inter embryonem nostrum quinquaginta octo & sequentem septuaginta dierum cadere, sed priori propius accedere, & imperfectior adhuc forma externa & ossificatio nondum incipiens arguunt, quamvis major longitudo & ætas ipsi assignata obstant. Prior in nostro fœtu quoque major fuisset, si ipsam non solum a vertice ad coccygis apieem, verum ut Wrisberg in embryone suo a vertice ad extensorum pedum finem desumisset.

10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000



tam firmiter palpebris clausi reperiuntur, suspicionem movent: palpebras, ut auriculas, demum enasci, ductumque lachrymalem & oculum, ante nudos, posthac obtegere; ut succrescens auricula meatum auditorium, antea simplicis foraminis forma ex-trinsecus se prodentem, tegit. Sic maxilla inferior, (quam in pullo vidi primo sub forma minimæ triangularis appendiculæ ad orificium œsophagi maximo jam sub crano apparere,) orificium canalis alimentaris obtegit; & nasus cum alis suis, post narium apparitionem demum formatus, illas; & genitalia exser-ta introitum ad interna; & coccygis os prominens, (in embryo-ne, donec glutæ mole satis aucti sint, & in pluribus mamma-libus constanter,) orificium ani tegunt. Tales valvulæ vel oper-cula & in meatibus in alios canales hiantibus, superficie tamen vicinis, occurrunt, ut constans fere videatur lex naturæ post exstrectionem canalis operculum in ipsis fine producere; sic lingua faucium communem canalem, epiglottis orificium laryngis, velum palatinum choannæ hiatum, turbinata ossa aperturas ad sinus mucosos nasi, valvulæ formis margo orificii tubæ eustachianæ hanc tubam, nymphæ urethræ aperturam, hymen hiatum vaginæ operiunt; quorum operculo-rum plura evidenter demum, canale jam dudum exstructo, sensim efflorescunt, suo loco fusius notanda. Memoratu dignum est, saltim in principio similem esse omnibus his opercu-lis figuram, protuberantiae scilicet parvæ, uni tantum lateri aperturæ inhærentis, vel, si integrum fere circumdant canalem, alterum tantum in latus præcipue productæ: sic caudæ tuberculum externo ani lateri affixum deorsum, genitalia & virilia & muliebria externa sursum, maxilla inferior inferiori œsophagi parti affixa antrorsum, auriculæ retrorsum, nasus e narium superiori margi-ne oriens sursum præcipue producuntur; palpebrarum ob bul-bum oculi complicatior figura est: Quam varios ad usus vero vel iisdem in animalibus vel in diversis natura his canalium oper-culis, quæ mechanica solum quadam lege exstructa videri possint, & uniformia tantum ad tegendos hiatus apta, utitur! Ossibus turbinatis ad organum olfactus; naso in elephanto pro manu, in talpa

talpa & sue pro pala; maxilla ad dentium totam animalis oeconomiciam determinantium vaginam mobilem; lingua ad gustus organum & in myrmecophaga loco virgæ visceræ; larynge ad loquèlam; auricula ad auditum, quin in vespertilione aurito ad volatus adjumentum; cauda nunc pro flagello, nunc manus loco; genitalibus externis ad præcipuum incitamentum propagationis; hymene, per naturalem hominum, quibus solis⁶⁴⁾ id tribuit, consensum ad scopum usque moralem utitur.

g) Communis alias character pluribus horum organorum esse videtur: glutine quodam citius tardiusve melius adhuc firmari, dum in utero manet foetus. Firmissime conglutinantur palpebræ, nares & meatus auditorius membrana operiuntur, mediae inter cuticulam & simplex smegma naturæ; smegma in recens natis puellis vaginæ orificium eo usque interdum replet, ut hymen extrorsum urgeat. Nato in homine pili succedanearum harum valvularum locum videntur tenere, primo in palpebrarum margine & auricularum meatu, serius inter femora, tum circa os, & tandem in narium aditu erumpentes.

§. 6.

Embryo septuaginta dierum, tibiis vitiōse curvis.

Embryo diutius jam spiritui vini inditus, a vertice ad apices digitorum pedis extensi linea, vel pollicis paris. duodecima parte brevior 2" erat. Occiput adhuc elongatum, quasi in nu-

D 2

cha

64) Trichecus manati unicum, quod scio, mammale est, cui hymeni affinis membrana robusta, partim nerva, partim musculosa, semilunari forma intra vaginæ orificium & sinum pudendi prætenditur. vid. Steller l. c. Orificium vero quod notandum, amplum satis remanet, ut in generationis & partus negotio non necessaria membranæ destruetio videatur. Simile aliquid in balæna aditum vaginæ partim occludere videtur. vid. de Pages iter in oceanum glacialem. Memoratu dignum est, ambo animalia continuo in aquis degere, nullo vellere vestita, nulla cauda inflectenda vel pedibus basi conniventibus præditæ.

cha descendens, frons minus protuberans erat, quam in priori foetu, facies parum oblongior & oculi palpebris apertis erant, nasi alae jam magis conspicuae; narium altera apertura clausa, altera aperta reperiebatur. Margines auricularum, superiore & anterio-
ra versus cum cute adhuc confluentium, minus tumidi, melius jam cartilaginis formam exprimere incipiebant; tragus parvus conspiciebatur, antitragus adhuc cum anthelice confluere & con-
cha nondum effossa videbantur. Jugulum collo parum lon-
gius, & nucha distincta apparebant. Truncus tumido sub hy-
pogastrio pelvem jam angustissimam monstrabat penemque exser-
tum. Artus superiores integre formati erant, articulis tumidis,
manibus digitisque magnis. Artus inferiores, nunc integre ex-
serti articulos minus tumidos, quam superiores, monstrabant,
gracilioresque erant. Pes extremus angulum jam cum tibia fecit,
calcaneo prominulo; digitus pedis, manuum digitis longe brevio-
res, sibi invicem approximati, in inferiore sua superficie trans-
versa jam incisura, fere ut in adulto, a plantæ superficie distingui
inceperunt. Vitiose introrsum tibiæ curvatæ erant, ut plantæ
sursum spectarent.

Ætatem, delineatae lineæ comparata, longitudo foetus septua-
ginta dierum fecit.⁶⁵⁾

a) Collum distinctum & pelvis femorumque evolutio eodem
separationis nisu orta esse videntur, qui in efflorescente ar-
tuum papilla, certam ad magnitudinem erecta, articuli separatio-
nem a basi molitur. Proprium nunc hominis habitum embryo-
nem induisse, relictis animalium & eorum, quæ proxima
visa sunt, formis; testantur pedis extremi cum tibia forma-
tus angulus & calcaneus exseri incipiens digitique pedis, ratione
digitorum manus, breviores redditii & approximati. Sectio fo-
etus

65) Melius mihi visum est, ob parvum adhuc plantæ pedis cum tibia angulum,
foetuum articulatorum longitudinem a vertice ad digitorum pedis apices, non
solummodo ad calcaneum usque metiri, & ad id in constructione lineæ, pri-
mo paragrapho memoratae, attendebatur.

tus indicavit circa hoc tempus ossificationis principia apparere; quasi natura, majorem firmitatem moliendo, perfecto nunc suo animali manumissionis notam (illius ope) inurere vellet, reliquum temporis potius elimando & augendo, quam formando impendens. Notatu dignissimum est, hic cum mutatione habitus externi chemicam simul intus mutationem oculis usurpandam esse: simile fere quid evenit tempore pubertatis, ubi nunc quoque intus semen apparet & externus corporis habitus fere subito ex puerili in virilem mutatur. Et in eo convenienter chemicæ corporum vicissitudines cum mutatione corporis animali, quod utræque saltu quasi, non pedetentim producantur.⁶⁶⁾)

b) Ovium embryones ad perfectionis hujus gradum, quem humanus fœtus nunc attigit, quæ inter quartam quintamque media est, totius gestationis temporis partem sibi sumere, ex Kuhlemanni⁶⁷⁾ descriptionibus & tabulis elucet. Harveus circa finem secundi mensis & perfectiore damarum fœtum reperiit, & cui costæ jam induruerunt⁶⁸⁾ Cuniculi vero embryo fere dimidium gestationis tempus percurrit⁶⁹⁾, nec dum eum, quem priores, perfectionis gradum adeptus est, ut tamen eadem fere proportio inter nonum diem, ubi primo apparet, duodecimum ubi articulatur, decimum quintum ubi perficitur, maneat, quæ inter

66) Veteres jam videntur & in embryone criticos quasi status, nostris similes, annotasse, temporis tantum iusta estimatione, ut fere in omnibus suis circa fœtu[m] observationibus, neglecta. Galenus lib I. de semine: Hippocratem quatuor formationis tempora constituisse, ait: primum, in quo semen duntaxat coagulatum cernitur; alterum, ruditem aliquam partium principum delineationem ostendentem; tertium, in quo substantia caruosa magis perficitur; & quartum, ubi perfecta omnium partium est descriptio & fœtus nunc παιδιν nominatur. vid. Riol. l. c. p. 620. Harvens quoque l. c. p. 70: pullo in ovo dics quasi decretorios contingere, ait.

67) loc. cit.

68) loc. cit. p. 307.

69) R. de Graaf l. c. p. 218.

inter easdem periodos in homine servatur. Hinc patet, majoribus in mammalibus partem temporis graviditatis, quæ inter quartam quintamque media est, ad statum hujus perfectionis gradum, (ut & protrudendis artibus suus est,) requiri, in minoribus vero & ad hanc evolutionem, respectu ad totam gestationis periodum, longe majorem. Pullum gallinaceum, qui vigesimo primo die ovo excluditur, a cuniculo, qui vigesimo nono die nascitur, non multum ratione temporis ossificationis & hinc verosimiliter finitæ formationis distare; (comparata ipsius magnitudine cum fœtu cuniculi excluso) fere simplex legis illius magnitudine effectus videri posset, nec forsitan nimis retardatæ in avibus ossificationi tribuendus.⁷⁰⁾

c) Cum humanus fœtus, cervæ & damæ fœtu certe non major, (agno neonato fere æquiparandus,) plures, quam damæ fœtus, evolutionis formas percurrere videatur, & tamen fere absolute eodem tempore & articulatus fiat & ad indigenam suam perfectionem, ut ille ad suam, perveniat; sequi videtur, formationis celeritatem principio illis fere æqualem esse, versus finem formationis homini vero multo rapidiorem, ut, quamvis longius iter percurrens, eodem tamen tempore ad metam sibi propositam perveniat, quo dama ad suam. Hinc temporis & molis augmentum, sumtibus formæ emtum, quod in cetaceis, forsitan per totum graviditatis tempus, adest, in aliis animalibus increscere solum, (ratione ad hominis formationem habita,) versus seriorem formationis partem videtur. Ovis, cui diversa tantum temporis ad molem fœtus, non formæ periodorum ad totum gestationis tempus ratio, quam damis est, easdem, ac hæ, quoad allatum momentum leges sequi videtur. Formatio, omnibus in animalibus eodem ex punto ordiens, ratione celeritatis vero, præcipue quo proprius meta adest, magis magisque festinantius divaricata, explicaret, cur diversissima

70) vid. Blumenbach Geschichte und Beschreibung der Knochen. Gött. 1786 p. 8.

fissima animalia, homo & dama & pullus gallinaceus, fere eodem tempore ex puncto saliente in speciem vermiculi, in omnibus similis, excrescant; & diversa haec in formando variis temporibus celeritas juncta momentis §. 3. not. d & §. 5. not. c adductis forsan ad residuas difficultates in explicanda ratione magnitudinis animalium & temporis, quod in utero transigunt, ad gradum perfectionis, qui partus tempore illis obtingit, dissipandas ficeret.

Embryo septuaginta quatuor dierum.

Fœtus, qui jam putrescens spiritui vini inditus fuisse videtur, nam exemptus justo flaccidior molliorque erat; longus 2", $2\frac{1}{2}''$, quoad formam priori similis fuit. Frons adhuc prominet; palpebris clausi oculi pupillis amplissimis apparent, & in illorum margine conicæ punctularum lachrymalium papillæ. Nares magis adhuc, quam in adulto, a se invicem, &, ratione distantie oculi ab ore, altius ab hoc distant. Oris fissura adhuc magna, men-
tum adhuc retractum, oris labia nondum revoluta & acuta adhuc linea ab integumentorum faciei superficie discreta sunt. Auriculae melius jam formatæ. Clitoris compressiuscula vix paulum longi-
tudine illam embryonis 58. dierum superat, cæterum illi similis, nec labia majora magis timent. Anus frenulo labiorum vicinior adhuc est, quam coccygis extremo.

Ætas sola ab longitudine desumpta est.

§. 7.

Fœtus octoginta quatuor dierum.

Fœtus ligneus fere, substantia, (non vero colore, hoc cœrulefcente,) quasi carnis fumatæ: num longa spiritus, cui inditus erat, in ipsum efficacia sic mutatus fuit? Compressus erat, rugosus & suminopere macilentus. Oculi claudebantur palpebris conglutinatis, fissura, oculi bulbo minore & ad canthum externum de-
ficiente, præditis. Pelvis angustissima fuit, clitoris exserta, ere-
cta

cta adhuc; perineum angustum nūnc apparuit; orificium ani anīplum; artus tenuissimi magnas manus exhibuerunt.

Longitudo 2^{''}8^{'''} dies daret solummodo 74; supra adscriptā ætati verum quod defuit, corrugationi, ex spiritu vini ortæ, tribuendum esse, ex intestinorum iustificatione censui.

Embryo centum et quatuor dierum.

Fœtus macilentissimus, jam leviter putrefactus & capite sub partu parum mutilatus solum, durante sectione, debili vini spiritui inditus fuit. Longitudo ejus a vertice ad digitorum pedis extensi apices erat 3^{''} 5¹/₄^{'''}.

Nasus simus erat, obtusus, & acutiorē adhuc, & quam in adulto, cum fronte angulum faciebat; facies tota magis protracta, nares palpebræque apertæ erant. Collum jam propriam corporis partem conspicuam constituebat. Truncus, minus curvatus, circa lumborum potius vertebras, quam tota longitudine flectebatur. Anus in longitudinem extensus hiabat, brevi, fere rectilinea, coccygis protuberantia tensus. Penis erectus erat; glande ad frenuli latera multum protuberante, superius fere bifidus videbatur. Abdominis integumenta cum funiculo umbilicali abrupta erant. Artus superiores tumidiusculos articulos, longos manuum digitos & in ipsorum apicibus semilunarem in cute incisuram, unguiculæ membranaceæ vestigium, exhibebant. Inferiores artus, superioribus quoad longitudinem fere æquales, macilenti magis erant, articulis minus tumidis; pes extremus, manu longior, multo brevioribus tamen digitis terminabatur & introrsum parum vergebat, ut in omnibus adultis, qui saltare non didicerunt.

Ætatem longitudo & matris, ter menstrua non passæ, calculus eandem dederunt, supra memoratam.

Embryo centum et sex dierum, extremitatibus monstrosis.

Longum jami per tempus spiritu vini asservatus erat, carne exsiccata, curvatus genubus attractis; extensus 3^{''} 4³/₄^{'''} metiebatur.

tur. Caput magnum, compressum, palpebras versus externum oculi canthum adhuc clausas, versus internum dissultas, & nares monstravit facculo membranaceo & smegmatis specie reserto, marginibus præcipue superioribus soluto, obturatas. Hæ bursulæ integræ extrahi potuerunt, narium aditus magnos, fibrovatos, apertos versus interna, conicos relinquentes. Auricularum ne leve quidem vestigium aderat. Manus monstrosæ erant, pollex dexteræ reliquis digitis mediante membrana junctus, hi vero ipsi apicibus solummodo liberi erant; sinistræ quoque manus digiti coaluerant, pollex sinister quidem liberum, sed antibrachium & interna versus reflexum se exhibuit.⁷¹⁾ Et pedes antice obtusi digitos monstrarunt breves, eosque informes, introrsum flexi. Mentula brevissima erat, num corrugata?

Aetatem longitudo ad centum solummodo & quatuor dies protulit, eadem vero ratio, superius in foetu 84. dierum allata, duos ad minimum dies addere suasit.

Embryo centum & decem dierum.

Sex abhinc septimanis spiritui innatans foetus longitudinem a vertice ad digitorum pedis extensi apices 3" 10" exhibuit. Occiput in nucham adhuc elongatum erat; frons concava jam sinuositate, non amplias sola incisuræ specie in nasum, jam melius formatum, minus obtusum & simum, transit. Nares membranula excavata prætensa adhuc clausæ erant; palpebræ tam firmiter claudebantur, ut in exteriore superficie continuata epidermide cohærere viderentur, in interna vero margines hiabant & egregie jani formatas punctorum lachrymalium papillas monstrabant, lateribus sibi accumbentes; superius punctum cantho interno

71) Notatu digna est simillima apud Wrisbergium I. e. obs. v. oecurrens deformatio, pollice libero retrosum flexo, digitisque reliquis quatuor coalitis, quæ, etiam minimas formæ a solita aberrationes leges contantes sequi, suspicionem movet.

terno proprius erat. Magnum jam spatium inter oris angulum auriculasque, posteriore & interiore sua parte jam bene formata, intercedit, & mentum jam prominulum conspicitur. Truncus versus pelvem minus, quam in prioribus, angustatus, coccygis processu vix amplius prominulo, pene exerto & subcurvato, ano sub forma rimæ oblongæ notatur. Artuum superiorum articuli minus tumidi sunt; digitii manuum, ratione corpusculi, abhuc majores & rudijs quasi exsculpti, quam in adulto. Unguiculi membranacei jam in pedum manuumque digitis notantur. Artus inferiores longitudine vix a superioribus differunt; jam enascentibus natum principiis, suris vix tumentibus, pede extremo intrege jam ad formam adulti formato notantur.

Calculus matris & delineatio egregie hic conspirarunt in æstatem supra indicatam, & consensus hic indicio est, non nimis longam in spiritu vini mansionem vix notabile longitudini inferre damnum.

Embryo centum & quatuordecim dierum.

Spiritu vini quoque asservatus foetus a vertice ad pedis digitos usque longitudinem $4''\frac{3}{2}'''$ exhibuit. Clitoris præputio manifesto cincta erat, glande tamen libera; non amplius erecta jam deorsum parum curvabatur, quasi latebras labiorum jam querere incipiens; inferioris superficie decurtatio hanc situs mutationem producere visa est.

Aetas ex longitudine æstimata est.

a) Liceat his in foetibus, qui superata imperfectionis periodo, celeri passu ad absolutam ipsorum formum se eniti facie magis humana, collo magis conspicuo, natibus incipientibus, coccyge retracto, clitoride peneque deorsum curvis & unguiculis apparentibus monstrarunt, variam diverso tempore corpusculi embryonis directionem contemplari. Rectum ipsius primordium esse & ex Ruyschii foetu & ex analogia cum pullo verosimile redditur; mox curvatur embryo, curvatusque manet ob collum nondum

nondum distinctum, caput, sine dilacerationis periculo, non retrorsum flectendum, pedesque nimis tenellös, ad calcitrandum adhuc ineptos; donec humana forma appropinquat, collum evolvitur, pelvis & femora ex trunco prodeunt, & pedes firmiores nonnunquam calcitratioñ vibratione postrorsum magis spinam flectunt. Nunc demum in omnibus, post hanc periodum natis, abortibus, quamvis in utero maneat situs convolutus, caput sine dilaceratione attolli potest, & truncus flaccidus in rectum super tabula & extremitates deorsum se extendunt. Versus partus tempus foetus, ratione cavitatis uteri (hominii globosæ) major, iterum magis conglomeratur, natus iterum extenditur, iterumque denuo curvatus senex aliorum abit.

Os sacrum & coccygis, incurvata in tenellis embryonibus, diversis his mutationibus maxime mutari videntur, & quidem periodo, hac paragrapho descripta, rectam in lineam extendi, posthaec vero iterum curvari; (vid descriptionem embryonis nostri 104. dierum;) & hinc intestinum rectum a genitalibus, a quibus tenuissimo tantum frenulo distinctum erat, detrahī & perineum, quod demum in foetu 84. dierum primo apparuit, nasci. Oblongum ani orificio, quod punctum solummodo antea erat, tensionem tales affirmare videtur. Embryo nunc & his partibus longius ab imperfectis animalibus, amphibiis & avibus removetur, quibus in unam cloacam rectum intestinum & vagina cum uretheribus hiant; & mechanica hinc forsitan ratio ex minus provecta evolutione pateret, cur feminæ minus curvetur sacrum & coccygis os, quam mari, res tam egregii in partu usus. In ovibus integra septimana serius mares nascuntur, quam foeminae; ⁷²⁾ diversa quoque animalia, quamvis tempus gestationis ipsis idem sit, saepius mox hanc partem, mox aliam retardatam monstrant, reliquis interim sumum cursum persequentibus. Ex simili ratione diversitas sexuum, exceptis genitalibus, ut pelvis curvatura, intelligenda esset.

E 2.

b) Ge-

⁷²⁾ vid. diligentissimi observatoris Bechstein Gemeinnützige Naturgeschichte Deutschlands. Leipzig. 1789. I. Band. p. 652.

b) Genitalia muliebria externa ⁷³⁾ primo in embryone 52 dierum apparuere, rimæ sub forma in tuberculo semiovato, elevato, auriculæ simillimo; excrescit tum hoc tuberculum superius in clitoridem, ad penis figuram proxime accedentem, ut labia majora fere scrotum dicese fissum, ad latera revolutum; dorsum clitoridis labia saltim minime ambient; nymphæ, quæ in adulta textu spongioso conflatas se ostendunt, nil nisi parietes urethræ jam in prima formatione ad prostratam usque fissæ esse videntur. Sutura, quæ in pueri scroto conspicitur, & versicolor linea in cute penis adulti secundum longitudinem urethræ ducta vel locum facilis divisionis, vel divisionem antea existentem, jam coabitam, indicare videri possent. Mox vero imminuta clitoris de hac, peni simillima, specie decedere incipit; ratione incrementi corporis in embryone 74. dierum dupla fere esse debuisset, quam in embryone 58. dierum, & vix tamen hanc superabat; rima clitoridis vel externus genitalium aditus octava lineæ parte in sequente embryone (118. dierum) brevior, quam in embryone 58. dierum, hinc ratio corporis ad hanc, ut 1 ad $2\frac{1}{2}$ erat. Eodem fere tempore, quo penis in embryone 110. dierum subsidet, clitoris concidit. Similes ambo in illo, quod penis quoque mature minori in ratione ad alias partes increscere incipiat; in embryone viginti quinque lineas longo Wrisberg penem longitudine lineæ integræ invenit ⁷⁴⁾, nos in embryone 121. dierum ad corporis longitudinem ut 1 ad 35, & in fœtu quinque & dimidii mensis Wrisberg ⁷⁵⁾ tantum ut 1 ad 51. Quadrupedum quorundam genitale femineunt, caniculæ in primis, leporis &c. multum cum pudendo embryonis humani tenelli convenit, tuberculum sistit quoque subovatum, secundum longitudinem fissum, extremitate versus symphysin pubis soluta. Clitoris quadrupedibus adultis data esse videtur ad erigendum & firmandum inferiorem vaginæ parietem, bipedi homini ad extendendum in longiorem rimam,

ad

73) De internorum cum virilibus summa in embryone similitudine & de hymene illius inferius disetur.

74) loc. cit. obs. II.

75) loc. cit. obs. IV.

ad partus negotium necessariam, genitalium aditum, quo facto in embryone, concidit.

§. 8.

*Embryo centum et sedecim dierum,
monstrosus, labio superiore et palato fissis, hydropicus.*

Fœtus, longitudine prioris, anasarca vel potius hydrope universaliter laborabat; aqua ubique, præcipue vero in capite, cuticulam pellucidam punctatam a corio, albis punctis, quasi minimis papillulis, consperso, sejunxit, ita, ut totum corpus quasi per nebulam conspiceretur; ista autem aqua inter musculorum interstitia & in omnia cava effusa erat. Caput aqua circumfusa vehementer tumens, labio leporino, sinistro in latere, & palato integre fiso notabatur. Narium cavitas dextra integerrima erat. In trunko papillulae mammarum, sub forma minimorum, corio inscriptorum, annulorum conspicuae erant. Citoris ad glandem usque anasarca tumebat, præputium autem, volvæ instar extensem, glandem aqua liberam cingebat. Artus justo breviores visi sunt. Manus radium versus curvatæ fuerunt. Dextra loco pollicis solummodo carnosam, petiolo (indici) affixam appendiculam habuit, sinistra illo in totum caruit. Pes extremus plantas sursum & introrsum vehementer flexas monstravit, ut linea per tibias ducta illarum planitiem non secaret.

Ætatem priori fœtu, quamvis longitudo eadem fuisset, maiorem pedes vitiose breviores jure arguunt; cum vero illorum ratio ad corpus non nimis imminuta esset, hacque in periodo fœtus brevi tempore vehementer crescant, vix duobus diebus ætate proiectiorem præsentem fœtum judicare ausus sum.

a) Sequenti capite ratio de labio leporino hujus embryonis reddetur: hic mirari liceat, inter 19. fœtus, quorum partes distinguendæ erant, nos tres invenisse monstrosos; Wrisbergium⁷⁶⁾

inter

76) loc. cit.

inter quinque duos descripsisse, & Ruyschium ⁷⁷⁾ inter 12, qui extremitates jam formatas habuerunt, iterum duos exhibuisse, ut in tribus his fortuitis collectionibus monstrosorum foetuum numerus ad naturales se habeat, ut 7: 29. Ingens numerus, qui, (si addas, scatere omnes rariorū circa anatomen observationum collectiones foetibus monstrosis, mox a partu mortuis, & rarissima esse monstra adulta,) verosimillimum reddit, naturam, ut servet genuinam hominis, primi inter cicurata vitiis obnoxia animalia, formam, brevissimo & hic uti exstirpationis adjumento, & omnium configurationum, in quas humana forma dilabi potest, unam tantum vere vitalem esse. Num id fit, quia omnia monstra in privatione consistunt? & ab iis, qui digito unico carent, ad eos, qui totis extremitatibus destituuntur, simplex penuriae incrementum datur, vel ab iis, quibus cranium solum ablatum est, per acephalos, eosque, qui thorace destituti sunt, ⁷⁸⁾ & tandem solitarium crus, ⁷⁹⁾ (ex atheromate placentae prodiens,) ad solitarias adhuc simpliciores partes ingenti numero, v. c. dentes, in ovariis repertas, series non interrupta efficitur? cuius rei nuperrime memoratu dignissimus casus, (qui, chemice consideratis iis, qui coextiterunt cum capillis, ossibus & dentibus in ovario repertis, diversissimis humoribus, magnopere forsan hic lucem affundere posset,) memorabilibus pluribus, qui in clinico hujus academiæ jam occurtere, morbosis affectibus accessit. Non obstante bicorporea monstra, vel duobus capitibus praedita, summa potius pro hac opinione argumenta exhibere, confluxus duorum in illis occurrentis geminorum secundum quorundam opinionem monstraret. ⁸⁰⁾ Forsan extre-

77) in thesauro anatomico VI. quem exempli gratia numeravimus.

78) Memoratu dignissimum inter alia exemplum vid. in Klein diss. monstrorum quorundam descriptionem sist. Stuttg. 1793.

79) Ruysch anatomicus IX. nr. 24.

80) Plurima eo convenient observata in Cel. Sämmering Abbildungen und Beschreibungen einiger Missgeburtten. Maynz 1791. Cel. quidem Blumenbach minns avet huic opinioni: v. Ueber den Bildungstrieb. Göttingen 1791. p. 112.

extremitatum monstrositates, quoad maximam partem, nil nisi integre vel partim retardata illarum in evolutione constant, & collum deficiens in foetibus sine cerebro natis, quondam in omni embryone observari potuit, & datur tempus evolutionis, ubi cerebrum ipsum nondum formatum, nil nisi pellicula, ambitum ingentis cavitatis aqua repletæ circumdans est; & palatum naturaliter fissum est, & canalis medullæ spinalis posterius membranaceus a spina bifida vix differt; & diaphragma plevram simulans, vix ambo cava thoracis & pectoris sejungit. Nec forsitan obstant monstra polydactyla; sicut celebre illud exemplum Kerkringii⁸¹⁾ materiem, qua in numero digitorum & ossium crassitie luxuriant, ex longitudine illorum & ex costarum media parte longitudinis ablata desumisse videtur, forsitan ob ipsam thoracis angustiam non vitale. Miratur Ruyschius⁸²⁾ placentam non solum, verum etiam funiculum umbilicalem tot degenerationibus esse obnoxium; matrem vero, quæ materiem placentæ dat, tot degenerationibus obnoxiam esse, nemo miratur; ovum vero a matre ante embryonem formatum, & embryo fere secretum ovi esse videtur, (vid. §. 2. not. a. & Cel. Wolfii theoriam generationis.) Annon hinc verosimile est, parentes non solum emittere formandi embryonis materiem, sed vim quoque formatricem emanare ab ipsis, degenerem a morbosis, integrum a sanis? Num ratio, quæ in cœcuribus animalibus tantas vitales varietates & tot monstra parit, natus formativi scilicet vacillatio,⁸³⁾ penuria efficitur, mox huic, mox illi formatæ parti rite implendæ impare, & hinc particularium retardationum in evolutione, quin justo majoris, minoribus in organis, digitis ex. gr., impulsus interdum causa; ut in atrophia infantum totum quidem corpus concidit, sed tument articuli? An monstra præcipue ex fœminis plebejis inopibus, vel nimis deliciatulis

⁸¹⁾ Spicileg. anat. pag. 51.

⁸²⁾ Thes. anat. VI. pag. 90.

⁸³⁾ Blumenbach I. c. p. 116.

catulis nobilibus nascuntur? Fera animalia & barbaræ fœminæ, fame preffa, plane non concipiunt; hinc rara illis monstra.

§. 9.

Foetus centum et novendecim dierum.

Fœtus a vertice ad extensi pedis digitorum apices $4''9'''$ metiebatur, occipite adhuc planiusculo, minus vero, quam in prioribus elongato erat & oculis clausis, palpebris exterius fere con-natis, intus margine liberis, stigmatumque capillorum aliquot in superciliis seriebus erumpentibus. Nares nil adhuc, nisi excavatæ in naso foveolæ, membranæ prætentæ specie clausæ, labia oris nondum revoluta, mentum vero jam melius formatum, & auriculæ fere integre elaboratæ erant. Truncus adhuc ovatus erat, thorace versus alta præcordia magis, quam in adulto, præcipue versus anteriora, dilatato; pelvi tamen jam ratione corpusculi latiore, quam in prioribus. Penis oblique dependet; scrotum tumidiusculum fuit. Carpus & metacarpus jam iterum luculentter majorem, ratione nimiae latitudinis, longitudinem acquisiverunt, quam in tenellis embryonibus; ungues membranacei aderant. Inferiores extremitates ratione superiorum semper magis increscere videntur; extremi pedes, ratione gracilium crurum, nimis magni adhuc apparent, surarum tamen jam vestigium ad superiorem cruris extremitatem notatur.

Foetus centum viginti et unius diei.

Fœtus, spiritu vini asservatus, a vertice ad digitorum apices $5''1'''$ longus, occiput longius adhuc, quam adultus, planiusculum, non amplius vero dependens habuit, & oculos naresque clausos; cuticula vero minime uno tractu super palpebrarum fissuram detrahi se passa est. Pilorum in superciliis puncta manifesta sunt. Nasus jam magis perpendiculo, quam horizonti appropinquat, parum vero protuberat; nares, pro ratione distantiæ oculorum ab ore, altius positæ sunt, quam in adulto, labia oris jam jam parum-

parumper resupinari videntur. Auriculæ, anteriore parte excepta, jam egregie formatæ sunt. Pelvis multo adhuc angustior est, quam humerorum distantia; truncus ad scrobiculum cordis maximam crassitatem monstrat, vix capite hic angustior; scrotum tumidum est, futura jam notatum; glans penis subcurvati nondum tegitur præputio, quod annuli rugosi solummodo sub forma elevare se incipit. Artus inferiores, quamvis eadem longitudine, ac superiores sint, graciliores tamen adhuc remansere.

Longitudo capitis a vertice ad mentum $1''7\frac{1}{2}'''$ erat; capitis diameter a fronte ad occiput ductus $1''5'''$, illius circumferentia per frontem & occiput $4''1\frac{1}{2}'''$; distantia marginis auriculæ superioris a medio vertice, circino mensa, $1''$; distantia labii superioris anarium septo $1\frac{3}{4}'''$ erat, oris a mento $2''$, narium a cantho oculorum interno $3'''$; anguli oris a se invicem, recta per cavum ducta linea, $4\frac{1}{2}'''$ distabant; auricularum longitudo $3\frac{1}{2}'''$ metiebatur. Corporis infra axillas circuitus dedit $3''7'''$; humeri suis summitatibus a se invicem distabant $1''5'''$, funiculi vero insertio & jugulum $1''3\frac{3}{4}'''$, funiculus & penis $3\frac{3}{4}'''$; penis $1\frac{3}{4}'''$ longus erat. Longitudo a summitate humeri ad olecranon flexi antibrachi dedit $1''\frac{2}{3}'''$, antibrachii longitudo $9\frac{1}{3}'''$, manus cum digito medio $6\frac{1}{2}'''$; digitus medius ab incisura, a vola manus illum sejungente, ad apicem usque mensus $2\frac{1}{3}'''$ æqualis erat, pollex ulnari latere mensus $2''$. Femoris mensura a trochantere magno $11\frac{1}{3}'''$, tibiæ a patella ad malleolum internum $10\frac{1}{4}'''$ erat; pes extrenius cum digito halluci vicino $7''$, hallux & primus digitus $1\frac{1}{4}'''$ æquales erant.

Ætas ex longitudine æstimata.

a) Comparato nunc dato hic calculo cum varia proportione partium in embryone 58. dierum & in adulto⁸⁴), sequentia se

84) Longitudines partium diversarum corporis adulti partim ex Mayer Beschreibung des menschlichen Körpers I. Band pag. 147, partim ex dimensionibus, in variis adultis institutis, desumebantur.

se prodidere: Faciem ratione circumferentiae cranii longiorem, quam in embryone 58. dierum, factam esse, fere in ratione, ut 13 : 11; verum, nisi ad altiorem in embryone frontem & caput, (quod oblongum in adulto est,) transversim latius⁸⁵) speces, æque longam videri posse, ac in adulto. Embryonis enim hujus cranium, transversim in medio discissum circuli fere aream offert, hinc simili in mole circumferentiae capitis aliquid demitur & facies primo intuitu justo longior appareat. Oris fissura, longitudini faciei comparata, hic, ratione embryonis 58. dierum, quo diametrum imminuta est, fere ut 22 : 31. Cum vero palatum retrorsum latius semper evadat, appareat, buccas extensas faciem, antea caninam, eadem in proportione humanæ formæ propiorem reddidisse; rictus tamen oris hoc in embryone, ratione ad os adulti eadem methodo mensum habita, toties major manet, quoties numerus 52. numero 49. major est. Menti vero ab ore distantia, si longitudinem faciei speces, ad distantiam in adulto, se fere habet, ut 7 : 12, multo hinc adhuc brevior est; & in superiori maxilla oculi oris rictui magis quam in adulto vicini sunt, & distantia canthi illorum interni a naribus, (ratione ad facierum longitudines habita,) ad distantiam in adulto est, fere ut 6 : 7. Cum vero nares in embryone altius ab ore distent, quam in adulto, & maxillæ inferioris anguli multo, quam in adulto, sint obtusiores, in principio fere nulli, ut convenienter cum minorum animalium maxillis, præcipue ferarum, (ruminantia enim & equus, elephas &c. processus maxillæ inferioris angulo fere sub recto junctos habent, in hoc adulto homini propiora, ut homo & quoad angulos maxillæ inferioris laterales medius quasi inter carnivora & herbivora animalia sit): liquet, non solum dentium absentiam, sed maxillarum quoque in principio majorem sub cranio protractionem, (quæ animalibus manet,) reddere mentum embryonis breve & oculos palato viciniores.

b) Tuberculum tenellorum embryonum nuchale, capiti junctum, occiput foetus ad partum usque adhuc elongatum, (quamvis

⁸⁵) Haller quoque l. c. p. 360. ait: Caput universum rotundum est.


vis longitudo sensim decrescat,) nucham vero gula inferiorem fracta quasi in medio craniī basis, (anteriorē parte horizontali supra orbitas manente, posteriore inde ab ephippio perpendiculari,) reddit, longitudinique colli hinc quasi addit, menti ad elevatum thoracem appressionem lenit, angulos, sub quibus in inclinato capite vasa cerebruni intrant, necessario obtusiores reddendo. In quo ratio forsan consistit, quæ juncta capitis ob erectam matris staturam ad inferiora propensioni, humano in foetu tantum efficit caput; animalibus⁸⁶⁾ enim, quæ minorem capitis molem habent, basis craniī magis in longum, quam homini extenditur, medid minus fracta: hinc cum & ipsa caput ad thoracem in utero inclinent, necessario acutior ad introitum vasorum in cranium in nucha oritur angulus; verum in animalium partu non ut in hominie capitis maxime obstat crassities, sed pectoris. Eadem vero causa & magnam illam differentiam inter partum hominis, qui occipite praeuenire necessario nascitur, (cum in fornice craniī respondeat quoque acutissima convexitas bascos illi angulo), & animalium, quæ facie vias aperiunt, efficere⁸⁷⁾, & maxillas foramenque occipitale sibi invicem appropinquando, hoc quoque modo hominem ab animalibus⁸⁸⁾ distinguere, & ratio,

F 2

cur

-
- 86) Cetaceis cranium quoque contractione unius partis in subglobosam formam vertitur; verum, quasi natura ubique duabus utatur viis, in ipsis superior pars ita contracta est, ut ossa nasi, deleta fere superiori parte osseum frontis, parietalium & occipitalis, tuberulum occipitale fere tangent; hinc inferior & anterior eranii pars extensissima & convexa est, nariumque meatus in medio vertice vel jam versus nucham hiare possunt. vid. quoque Merk loc. sup. cit.
- 87) In ovibus saltim Daubenton hoc modo partum depingit, & Brugnones Werk von der Zucht der Pferde, ins Deutsche übersezt. 1790. Prag. pag. 161. expressis verbis de equo id adnotat. Reliqui in arte veterinaria scriptores, quos legi, negligentiores ad hoc disserimē non attendunt, contenti, dicentes, caput in partū præire.
- 88) Similis retorsio maxillarum infra eranium videtur elephanti contigisse, (ut saltim maxilla superioris fragmentum, quod ante oculos habeo, demonstrare videtur,) præcipue vero margini maxilla ipsius superioris anteriori, qui, an-

gulo



11) majorum sibi cum embryone simili-
tudine, breve, rotunda. Per nos vero hanc
in animali veluti, (hinc fuisse informe &
2. rotunda, quorum facta estrema sensibili-
menter magis videtur, propter eam in la-
te, in rotunda est, ut in quod expedirem
cavum omnino remittatur,) & tardior habet
tempus, hinc planiusculum recipit & continet
esse videtur. Convenit icti uentus
datur jacto majori carnis locynai, 14)
occipitali, 15) orbis majori, 16) thorace am-
bito. 17) (in embryo europeo cum minoris
lato, animalium colitis feminiores, thorace
tenui, & rotundis, quam adulti, ad antenora plati-
nide ad sternum, in cartilagineibus contractis
respirant, occurrente, cayos jam Nes-
s.) angustiori pelye, 18) plena pellis & vela
nervis, 19) & ut melius faciat vicem eis, pe-
nitence cruris majoribus, crutibusque aliquo
modo.

umbilicalis, qui in minoribus embrionibus
omnigis primi enim excepta provenit. hoc
debet. tere quanta trunci, a jugulo ad penem
parte a pene datur, in aliando tere certa.

Ramo

Ratio artuum superiorum ad truncum hoc in foetu se habuit ad easdem proportiones, in embryone 58. dierum occurrentes. fere ut 11: 7; inferiorum vero artuum fere, ut 15: 8., qui posteriores igitur celerius ratione trunci & superiorum artuum creverunt; celerius hoc incrementum longe adhuc progredi, ex eo constat, quod ratio artuum inferiorum ad truncum in hoc-foetu ad eandem rationem in adulto se habeat tantum ut 7: 12, superiorum vero similibus sub conditionibus rationes fere æquales sint. Hinc primo superioribus artubus & tum demum inferioribus perficiendis naturam in homine incumberet, ex his quoque mensuris patet. In nullo, quantum scio, animalis foetu priores pedes per tantum tempes palmam posterioribus præripiunt, & posteriores, prioribus tandem æquales, tam ingenti ratione ulterius crescunt, quam in homine. Ad superiorum in homine extremitatum præcox incrementum situs foetus inversus, ubi omnis gravitatis actio in caput & superiores arcus nititur, aliquid conferre, forsan censendus est; natus infans non subito sed sensim tantum in pedes erigitur, primo horizontali situ decumbit, paulatim surgit, pedesque intumescunt & elongantur. ¹⁰³⁾)

Carpus (& meta carpus) hoc in foetu, antea brevissimus, iterum apparet longior, & quidem ipsius adulti carpo, si ambo cum digitis comparentur in ratione ut 4:3 Posthac infantum oritur rotundiscula iterum manus, ut jam quondam erat, postquam digiti appauerunt. Hæc naturæ via videtur, omnia infinite diversorum influxuum ope gyrando, in altiora evehere, ut ne motus quidem ipse

103) Simiæ, quæ adultæ sèpissimæ erectæ incedunt, præmaturo partu opptimi, & natæ nimis celeriter indurescere videntur, ut in medio quasi foetu inter & adultum statu hærent. In reliquis bipedibus, (quæ in septentrionalis Americæ quibusdam locis non infrequentia sunt, neperius detecta ex glirium ordine,) pedes posteriores jam a principio sumtibus priorum elongari videntur, forsan uterus ipsorum bicornis cornua foetuumque deorsum pressa horizon talia gerit, non obstante sanguis matris erecto.

In se quiete profluat. Pedes extreimi, manibus comparati, celerius adhuc increvere, quam toti artus inferiores; in embryo 58. dierum in ratione ad manus erant: ut 1:1, hoc in fœtu sunt, ut 14:13, in adulto, ut 5:3. Cum prius apparuissent, quam crus & femur, prius quoque superioribus artubus celerius increscere videntur.

Quod ad diversum majorum corpusculi partium incrementum attinet, generatim nostris in embryonibus hæc observavi: Capitis incrementi celeritas ratione trunci, usque ad periodum perfectioris formæ embryonis, semper augeri visa est; tum colli elongati ope a trunco remotum, quasi sejunctionem moliens caput, iterum imminui, & artus superiores caput comitari videntur, si ab eo discesseris, quod celeritas incrementi ipsorum, uti demum tempore certo post capitis incrementum apparuit, sic nunc quoque illi per aliquod tempus superstes sit. Mox, his tardantibus, inferiores artus celeriora incrementa capiunt, ut truncus, qui, capite & superioribus artubus parum lentiore pede progredientibus, celerius increscere videbatur, nunc iterum artubus simul sumtis comparatus ob' celerius pedum incrementum lentius procedere videatur. Fluctuans vero hic, ex diversa incrementi celeritate, diversarum partium motus quinto mense quiescere, & omnia æquabilius augeri videntur, (donec ille in nato infante iterum alio modo incipiat:) sic in contrarium mutationes formæ, per longum tempus pedetentim & silentes progressæ, ad tempus pubertatis tumultu quodam subito evigilant. Materiem quandam ad explosionis speciem per periodos colligi, & unius partis majorem agitationem illam alterius tollere, facile dices, id quod supra §. 8. not. a. de monstris memorata affirmare videtur.

§. 10.

Foetus centum et viginti sex dierum.

Foetus sex & dimidii pollicum longitudine. Occiput jam magis convexum, quam in prioribus foetibus, leni tamen adhuc curva-

curvatura in nucham excurrerit. Clausæ tam firmiter palpebra erant, ut eas facilius dilacerare, quam a se invicem sejungere posses, linea tamen tenuissima divisionis & exterius jam notanda erat. Interior rimæ liberæ superficies puncta duo lacrymalia & optime observandam carunculam lacrymalem, ceu serræ dentes mutuo se invicem excipientes, exhibuit; primo versus interna caruncula, tum superius punctum, ultimo venit inferius. In superciliis jam prodierunt pili & in parte capillata crinum erumpentium stigmata. Faciei forma a forma perfecti foetus non multum distabat, nares nunc apertæ erant. Auriculæ integre formatæ, satis magnæ, longius adhuc (ob brevem faciem) a nasi apice distabant. Cutis, quæ in prioribus foetis glabra adhuc erat & æqualis, rugosa nunc fieri incipit, præcipue circa nasi radicem, quasi senilis. Truncus latera in medio exhibuit adhuc distincte convexa, pelvis diameter transversus jam humerorum distantiae magis, quam in prioribus appropinquat. Clitoris dorsum flexa, nec dum tamen labiis majoribus tegitur. Mons veneris, tanquam labiorum & clitoridis communis planiuscula basis, conspici incipit, divisus rima pudendi, superius ob clitoridem quasi bifurcata. Artus inferiores superiores non quidem longitudine, sed crassitie excellere incipiunt, ambo tamen manibus pedibusque extremis, (ratione totius corpusculi habita,) adhuc justo majoribus erant. Ungues membranacei jam formati conspiciebantur.

Egregie hic matris calculus & ex longitudine desumpta ætas conspirabant.

a) Nares in nullo, ætate provectioni, foetu amplius hucusque vidi clausas, palpebras conglutinatas vero describit Wrisberg¹⁰⁴⁾ in foetu quinque & dimidii mensis adhuc clausas. Riolanus¹⁰⁵⁾ foetum circiter sex mensium dissecuit, ubi nares patabant, & ubi se palpebras unitas, ut in talpis, observasse, refert. Et alia animalia, quæ hominis ad instar oculos statim post partum

¹⁰⁴⁾ loc. cit. obs. IV.

¹⁰⁵⁾ loc. cit. pag. 652.

tum aperiunt, palpebras certo gestationis tempore clausas habent. De equo, & quidem per longum satis tempus, id adnotavit Vitet¹⁰⁶⁾ & in foetu cervi elaphi mensis Februarii initio, septimana hinc circiter vigesima secunda, ex utero sexto oculos adhuc clausos invenit Burgsdorf¹⁰⁷⁾, in ovis embryone tertii circiter mensis Harvæus.¹⁰⁸⁾ Memoratu dignum est, animaliam, quæ clausis palpebris pullos emituntur, tardissimum ursum¹⁰⁹⁾ post sex gestationis menses tales eniti, qui ultimus terminus esse videtur, in quo foetus humani palpebræ firmiter conglutinatae sunt; nam jam in Wrisbergii foetu linea sebacea, exterius rimam palpebrarum notans, indicare videtur, tempus apertura non procul absuisse. Quæ vero sex menses integros in utero non transigunt, animalia, omnia fere palpebris clausis nascuntur, & quidem eo longius coeci manent, quo brevius tempus in utero transegerunt. Sic ex. gr. secundum aliquos ursus sex tantum dies coecus manet, lupus¹¹⁰⁾ vero, qui undecim septimanas in utero latuit, per decem dies; vulpecula¹¹¹⁾ autem, quæ post sexaginta dies jam parturit, quatuordecim dies coeca erat. Minora animalia et ad hanc coecitatis extra uterum periodum plus temporis sibi sumunt, quam majora. Mus ratus¹¹²⁾ ex. gr., quatuor septimanas in utero latitans, decem dies, & musculus¹¹³⁾, aliquot tantum diebus tres septimanas in graviditate excedens, quatuordecim dies coeci manent. Non omnia vero animalia, quæ ante sextum men-

sem

106) Unterricht in der Vieharzneykunst, überl. von Erxleben. Lemgo 1773.

i. Th. II. Band. p. 369.

107) Schriften der berolinischen Gesellschaft naturforschender Freunde. VI. Band Berlin 1785. p. 412. -

108) loc. cit. pag. 312.

109) Bechstein loc. cit. pag. 338.

110) Idem loc. cit. pag. 229.

111) Id. loc. cit. p. 242.

112) Id. pag. 432.

113) Id. pag. 445.

sem enituntur, coecos pullos pariunt; eadem animalia, (quibus ovis, pullos apertis oculis enitens, quamvis quinque tantum menses gravida, adnumeranda est,) quæ celeriora quoad alias periodos, artuum v. c. formationem &c. sunt, & hic monstrant, in minimis evolutionibus easdem, quas in maximis, valere leges & naturam nullas agnoscere minutias. Huc forsitan referenda cavia cobaya¹¹⁴⁾, & lepus timidus¹¹⁵⁾, qui quoque apertis palpebris nasci dicitur, quamvis in hoc vehementer discrepet a congenere cuniculo¹¹⁶⁾, qui coecus manet per novem dies, triginta in utero absolutis. Si vero ad id respiciatur, leporem timidum unicum fere minores inter glires animal esse, aperto in campo sine spelunca vel asylo habitans, habemus forsitan, in quo naturæ providentiam, quæ non legibus immutabilibus, sed exceptionibus lucet, admirremur.¹¹⁷⁾

b) Mutatio cutis ex glabra nitente in plurimis prius descriptis embryonibus in senilem rugosam hoc in foetu, mox a partu dissesto, & recenti, cum pilorum eruptione, induratione unguium & adipis formatione, quæ quidem serius apparent, cohærere, turgoremque nunc, omnibus internis in æquilibrio positis, ad integumenta communia ortum indicare & naturalis esse videtur.

c) Enumeratis nunc his embryonibus, inter quindecim foetus, quorum sexus distingui potuit, novem fuisse femellas & sex tantum mares, notatu dignum mihi videtur. Et Ruyshii ex. gr. thesauros, qui hunc in finem evolvit, inveniet, inter ibi descriptos embryones, quorum sexus indicatur, longe plures occurrere femellas, quam mares; de monstribus, quæ plurima immatura nascuntur, constat quoque, quoad maximam partem

114) Bechstein l. c. pag. 413. 115) Id. pag. 537. 116) Id. pag. 552.

117) Notatu dignissimum est, scire, num lepus americanus, (qui colore, habitu externo leporem timidum integre refert, cuniculos agendo vero, pedibus posticis auriculisque paululum minoribus, & magnitudine parum inuminata medius inter illum est & cuniculum, priori tamen propior,) ratione coecitatis pullorum sequatur integre cuniculum, cum in foveis quoque degat, an leporem, pullos visu statim gaudentes enitens, an medius quasi inter hos ambos status sit, pullos nempe brevissimum tantum per tempus coecos parturiens.

tem feminina esse. Annon hic latet causa, cur plures legitimo tempore mundum salutent mares, quam foeminæ.¹¹⁸⁾ Forsan æque parum plures formari possunt mares, vel plures foeminæ, quam positivus electricus ignis sine negativo eodem tempore se evolente. Saltim animalia hæc suadent. Galli domestici in polygamia degunt, & tamen sunt, qui dicunt, non solum non plures ex ovis excludi foeminas, verum adeo mares numero excellere; idem accidit gallo phasiano. Columbae, quæ per paria ova excludunt, marem cum femella semper gignunt. Equi, qui feri, teste Pallas¹¹⁹⁾, polygami sunt, parvunt certe cicures æque numerosos mares, quam foeminas.¹²⁰⁾ Cur tantum inter omnes ejusdem speciei polygamos mares bellum? nisi natura, quos numero pares producere coacta erat, mares iterum ex parte extingui, fortiorique tantum in futuræ prolixi commodum opima spolia servari vellet. Interdum vero ipsa ex pluribus individuis in unum conferre generationis vires videtur, mitior tum, viva relinquens reliqua, sed neutra; id apibus contingit, quibus una foecundissima mater, plurimis vix satiata maribus, & ingens numerus impotentium foeminarum est. Hic non individuorum numerus, sed virium genetricium intensitas æquilibriūm constituere videtur. Similis nexus, qui distinctarum a se invicem specierum in animalibus formas in unum continuum jungere videtur, forsan & mares foeminasque comprehendit. Äquor natura est, cuius undas solum, per vicem elevatas, iterumque subsidentes, pressoque se invicem pede sequentes, quasi ex longinquo admiramus, ipsum latet, altiorum ingeniorum, ut cum amabili Bonneto¹²¹⁾ loquamur, voluptas.

G 2

SECTIO

118) Danz loc. cit. I. Band. pag. 164. in not.

119) Pallas iter I. pag. 211.

120) vid. Hartmann Pferd- und Maulthierzucht 1777. p. 185.

121) Palingénésie part. XII. Tom. II.

SECTIO SECUNDA.

DE INVOLUCRIS VISCRUM EMBRYONIS AD OSSIFICATIONIS PERIODUM USQUE.

§. II.

In embryone nostro paucorum a formatione dierum superficies, microscopio lustrata, minimis acinis (ceu tremellarum substantia) conflata videbatur; intus jam cavum, viscerum specie arte refertum, distingui poterat. Funiculi involucrum vere membranaceum apparuit, laxe, tenuissimum, hyalinum. In embryo 44. dierum similis tenuissima, laxis, hyalina cuticula medium abdominis tegebat, latera vero corpusculi cute rugoso-granula, minus pellucida, cancellata erant; de crassiori hac cute jam tenuissima lamina detrahi potuit. In embryo 58. dierum hernia totius intestinalium tractus in funiculo umbilicali, (casu. ut videtur, his in embryonibus non infrequenti,) abdomen in umbilicum apertum esse, monstravit.

a) Ex his verosimile videtur, ex funiculo tenuissimam membranam totum circumdare embryonem, quæ in principio unicum abdominis tegmen format; alteram vero crassiorem, ex acinis conflatam, cutem ex dorsi latere assurgere versus abdomen. Harveus¹²²⁾ in damæ foetu latera tam pectoris, quam alvi alba, mucilaginosa & quasi similaris constitutionis, utrinque a spina ascendentia vidit, unde thorax quasi cymba¹²³⁾ aut navicula apparuit; & Wolf in pullo vidit granulosam utrinque ex spina dorsali excretam laminam ascendere, lateraque thoracis & abdominis formare. Ambo viri thoracis abdominisque superiora aperta quidem patere crediderunt, & vasa umbilicalia nuda in pullum transire: pelliculam vero tenuissimam cor obducentem Hallerus affusi alcoholis

¹²²⁾ loc. cit. pag. 301.

¹²³⁾ loc. cit. pag. 258.

holis ope monstravit¹²⁴⁾ , ut in pullo tenello quoque verisimile sit, spatium, quod a principio crassioris lateralis integumenti margines liberum relinquunt, pellicula ab involucris ovi continuata tegi. Si finges, embryonis humani funiculum brevissimum, (& cuius cavum liberum nulla gelatina refertur sit,) placentamque circulum venosum & uterum vitellum esse, in laminam eratam extensem & circa embryonem revolutum; eadem habebis, ut in pullo, fere ad minima usque; viscera scilicet inter amnion & vitellum libere fluitantia, corpusculo tantum appendicularum sub forma nexa; longior embryonis mammalium funiculus & gelatina refertus corpus undique clausum constituere videtur.

Sententia, quam Cl. Wolf fere expressis verbis proposuit: omnia noviter producta organa excretione sub pellicula ad ultioris organi oriri, hanc pelliculam tum vel rumpi, vel teneram redditam in novam novi organi cuticulam formari; his embryonum integumentis affirmari & embryo a funiculi umbilicalis apice (conf. §. 2. not. a) sub extima membrana tum temporis tenuissima & gelatinosa excerni videtur.

b) Extensio embryonis semper magis aucta, vel (quod eodem redit) contractio umbilicalis, in principio crassissimi, si ad corpusculo refeias, funiculi versus centrum abdominis, truncum sensim, usque ad annulum abdominalem apertum remanentem, claudere videtur. Thorax in embryonibus versus umbilicum amplissimus; brevissimum, quasi ex collo ascendens, sternum; (quod alii minus recte cicatrici aperturæ thoracis incumbenti comparasse videntur,) descendens vena umbilicalis; vesica urinaria in longitudinem tracta & ascendens cum reflexis arteriis umbilicalibus; & ipsa denique embryonis curvatura talem contractionem fere oculis usurpare finunt.

c) Granosa igitur, ex spinæ lateribus ascendens, substantia embryonis involucrum sensim formare videtur; ex eadem viderunt
Wolf

¹²⁴⁾ loc. cit. pag. 116.

Wolf & Hunter¹²⁵⁾ in pullo artus conflari. Totum trunci skeletonum musculis suis & integumentis hac in substantia contineri videatur; verum & cordis vasorumque primordia ex his globulis constare, refert prius memoratus auctor.¹²⁶⁾ Minima animalia, ut polypos, qui irritabilem substantiam æquabiliter ubique gelatinæ solummodo contractili mixtam habere videntur, integra ex talibus globulis conflari, liquet; nutritios corporis liquor, chylum & pus, sanguinemque, similibus tenuiori in fluido circumvectis globulis constare, memoratu dignum mihi videtur; &, muscularerem adulti fibrarum nodosa vel globulosa quadam substantia conflari, (in quo plus minusve omnes conveniunt observatores,) ¹²⁷⁾ & eodem pigmento, ut sanguinis globulos, in perfectioribus animalibus fucatam esse, fortioribusque animalium (secundum Hunteri observata. v. l. c.) simul numerosiores in sanguine globulos & obscuriores in musculis colorem esse notandum est. Animalcula quoque infusoria quasi dices globulos tales esse, in quos corpus fermentatione solutum iterum diffilit, quorum unusquisque nunc virium vitalium, omnibus junctim sumtis antea communium, propriam partem iterum sibi sumvit. ¹²⁸⁾ Cur non audaces cum Cel. Hufeland¹²⁹⁾ & aliis, quandam inferioris ordinis vim vitalem, quæ post mortem ad putredinem usque manet, (ut calorem, electricitatem, magnetismum &c.) tanquam corporum substantiis chemico modo junctam, contemplemur; ut ex gr. diversa illius his sit capacitas; & illa caloris ad modum vincita nunc appareat, ut in semine sicco; nunc libera ut in planta vivente; vel pereat in vita alioquin tenacissima anguilla fortiter contra

¹²⁵⁾ prior l. c. pag. 258. posterior Versuche über das Blut übers. v. Hebenstreit 1797. pag. 123. nisi hæc nota editoris est.

¹²⁶⁾ l. c. p. 91.

¹²⁷⁾ inter alios Mayer l. c. III. Band. p. 26. Fontana über das VipernGift übers. Berlin 1787. p. 383. Tab. VI. fig. VI.

¹²⁸⁾ Ortum illorum hoc modo quasi ante oculos posuit Wrisberg. vid. de animalibus infusoriis. Gött. 1765.

¹²⁹⁾ Die Kunst das menschliche Leben zu verlängern. Jena. 1797.

contra durum corpus vibrata, ¹³⁰⁾ ut magnetica vis in ferro sinistre iecto? Nec sanguinis grumo, nec sanguinis globulis solitariis, sanguinive hinc toti forsan quædam neganda est vis vitalis, directrice illa vi, quæ totum ex minimis organis conflatum glomerem animat, propagat & mortuum, quamvis adhuc irritabilem &c, aufugiens relinquit, gubernata, non eadem cum illa. Utriculos plantarum his gelatinosis animalium acinis convenire jam Wolf annotavit. Globulos hos, qui tanti in organica corporum compage momenti sunt, inter ultimas corporis animalis partes minime numerari posse & jam illorum magnitudo & in polypo pili in brachiis globulis tenuiores, ¹³¹⁾ & præcipue membranæ illæ hyalinæ, tenuissimæ, æquabiles, eodem tempore cum globulis apparentes, demonstrant; minima tamen organa esse videntur, ex quibus natura corpus animale, ut faber murorum ex lateribus antea formati, interpositis longe minoribus aliis particulis, suum ædificium exstruit; & memoratu dignum videotur, minimum polypum & hominem, robur & conservam fontinalem ex ejusdem fere magnitudinis proximis partibus constitui, ut sere & hic videatur natura, ut non dimidio tempore dimidiæ magnitudinis generat animal, sic nec ex dimidiæ magnitudinis moleculis illud conflare. Globulos hos, quamvis non saccularum forma cavos, aliquid tamen continere a continentali diversum, si non ex analogia utricularum in plantis, (quamvis longe majorum,) & medullæ adipisque in animalibus loculorum, tamen ex mutatione coloris in polypis secundum diversum alimentum ¹³³⁾

contin-

¹³⁰⁾ Clossius über die Enthauptung. Tub. 1797.

¹³¹⁾ Ledermüller microsc. Gemüths u. Augen. Ergœzung 1761. Tab. 67 & 82.

¹³²⁾ Wolf I. c. distinctis verbis jam disserimen inter hyalinas & in adulto membranas, ut plevram, peritoncum & substantiam illam acinosam adnotat; illas si cum Hallero pro tela cellulosa stipata sumis, necesse erit, hanc pro alia lymphæ forma, diversa a crystallis lymphaticis, (id enim filamentosa, tela cellulosa esse videtur,) declarare; prior forma vel fibra ex. gr. tendineas fibras, posterior musculares (& forsan quorundam viscerum parynchyma) construere videtur.

¹³³⁾ Schäffer von den grünen Armpolyphen. Regenspurg.

contingente, & ex eo conjici posset, quod crux sanguinis, aqua solutus, affuso alchole, plurimos albidos in principio demittat floccos, qui minime omnes ex fero adhaerente orti visi sunt, & tum demum sedimentum, flocculentum quidem, tamen longe a priori diversum, rubrum gignat.¹³⁴⁾ In globulis characterem & quasi organicam structuram crux vivi sanguinis consistere, ex eo fere efficitur, quod in vitro clauso, (ubi ponderabilis nihil videtur accedere vel avolare posse,) sanguis, qui antea globulos non solutos continuit, eadem in fluidi quantitate illos mox, putredine superveriente, solvat, totumque latice pulchre pellucentem monstrat,¹³⁵⁾ & quod fero sanguinis ferri limati ope, sine pelluciditatis jactura rubor quoque possit conciliari, similibus, ut sanguinis integri, coloris mutationibus obnoxius;¹³⁶⁾ in hoc fero vero nulli globuli, id pigmentum, quod æque in sanguine in ferro consistere videtur, contineant.

§. 12.

Caput embryonis, ex quo, quasi ex semine radix, descendit medulla spinalis, in embryone 41. dierum bullas aliquot latice magis, quam integumenta illum includentia, pellucente refertas, continuit & saccum retulit subglobosum, cui inferius maxilla inferior accumbit, ingens oris cavum cum ipso formans. Hoc cavum in embryone 44. dierum jam luculenter propria membrana, in augustum œsophagum se contrahente vestitum erat. Translucet hoc in embryone egregie cerebrum firmum per membranam cavi oris internam; caputque totum nil adhuc, nisi cerebro repletum globum, in medullæ spinalis canalem, ut oris cavum in œsophagum, se contrahentem refert. In basi cranii lineola jam flavescens, minus pellucida secundum longitudinem decurrit &

ad

¹³⁴⁾ Liceat hic nostram dissertationem adducere: Experimenta & observata quedam de sanguine præsertim venoso. Stuttg. 1792. expetim. 23.

¹³⁵⁾ ibid. §. 20.

¹³⁶⁾ ibid. §. 48.

ad latus ipsius utrinque parva apparet similis macula. Integumentum cerebri seu cranium, minus granosum, magis vere membranaceum, quam eo tempore thoacis tegmen apparuit, intus jam duræ matris processus, (inferius accuratius cum cerebro describendos,) & in externa superficie diversa jam pellicularum strata exhibuit.

In embryone 41. dierum manifeste in medio substantiæ illius, minus pellucidæ, quæ abdominis & thoracis latera cingit, canalis pro medulla spinali, quæ translucebat, secundum longitudinem exaratus erat, qui vaginam mollem, medio præcipue satis crassam, sibi formaverat. In embryone 44. dierum jam vagina hæc medullæ spinalis a communi integumento distincta erat, pariete anteriore jam crassiore, & flavescente quasi granosa constabat materia, mollissima, transversim striata; jam foraminula intervertebralia in lateribus hujus spinæ dorsalis præcipue versus trunci finem apparuere distincta. In thorace prior, cum communi integumentorum massa, lateralis nexus abiisse in mollissimas, sibi invicem approximatæ, lineolas transversas, (costarum futurarum primordia,) videbatur. Versus spinæ dorsalis finem inferiorem utrinque ejusdem flavescentis materie macula, pelvem futuram indicasse visa est, & papillæ pedum apertæ monstrabant intus nucleus quasi subacutum ejusdem substantiæ, distincte ab ambiente sat crasso albido involucro diversum. Ut externa in superficie trunci, (quod in priori §. jam notatum est,) cuticula jam apparuit: sic interna jam plevram, sed adhuc vix observandam & peritonei plicas exhibuit.

a) Memoratu dignum est artus methodo plane eadem, qua gemmæ in plantis producuntur, propullulare, (illas nempe nucleo, ex medulla & fibris ligni, extrorsum curvatis, qui ex cortice protruso, vaginam sibi parat) & costas convenire cum artubus quo ad directionem, quæ similitudinem quandam cum radiorum emanatione habet. Eodem tempore basin, ex qua exeunt, spinam nempe dorsalem in diversas partes separari & externa in superficie cuticulam, in interna plevram & peritoneum secedere, ar-

gueret fere, nisum formativum separationes continuo moliendo, agere, ut electrico igne ad satietatem imbuta corpora, quæ & radios emittunt, & a se invicem sejunguntur. Forma in primordiis partium in universum parum elaborata quasi mechanicarum virium, sensim demum formativo nisu¹³⁷⁾ (ut chemicæ affinitates a vi vitali,) superatarum, indicum est. Sic corpora vertebrarum cartilaginea, (præcipue inferiora,) in embryone 104. dierum adhuc fere globosa erant. Artuum ossa si in sceleto considerantur, radiorum fere collectionem vel radium in progressu in plures fissum imitantur, ut, quod in superioribus unicum os humeri erat, in antibrachio in duo, in carpi prima serie in tres, (pisiforme os saltim articulationi cum antibrachio non accedit), in secunda in quatuor, in metacarpo in quinque dividatur ossa. Ossa cranii, radiatim ex centro quodam emanantia, si quis in teneriori fœtu eum figuris, quas electricus ignis in superficiebus, pulvere idioelectrico conspersis, format, a Cel. Lichtenberg¹³⁸⁾ depictis comparaverit, ingentem inveniet similitudinem; cui accedit, quod fluidum impalpabile, nervis discisis erumpens, (secundum nuperiora, ingentem lucem affudentia, expe-

137) Ingens formationem corporum organicorum inter & mechanicam crystallisationem discriben tum demum appareret, quando demonstrari posset, nisum formativum solitis tantum operari mechanicis viribus; nullo enim modo ex his solis concepi potest, eur in cane, rapinæ & sanguini destinato, feræ formæ producatur, & in equo gramivori animalis. Profecto dici nequit, omnes alias formas, quia cum universo non quadrarent, interiisse & has solas superstites manassent. Canes enim in Sina, saginationi destinati, retro a multis generationibus oryza tantum vescuntur, sine ulla admixta carne, & tamen propagantur, & Britanniam advecti feras insectantur, quarum ne avi quidem illorum ullam unquam notitiam colligere potuerunt: & equi in septentrionalibus regionibus carne & piscibus sustentantur & vivunt. Cur animalia hoc modo fermentur vel alio, & quidem omnia ex simili materia & similibus operantibus viribus, id electionem quandam naturæ arguit in prima specierum formatione.

138) Commentationes societ. reg. scient. Götting. 1778. Vol. I.

experimenta,) radiatim emanare videatur¹³⁹), & quod ossa, (saltim sicca,) fluidum animale, quocum Galvani primus experimenta instituit, per suam substantiam transire minime permittant¹⁴⁰), hinc verosimiliter & in liquore natantia comminuta directioni radiorum aliquem renixum opponant. Quæ vero in durioribus corporis humani partibus contingunt, quodammodo forsan in mollia eorum primordia jam agunt.

Substantiam eodem tempore, quo diversæ partes a se invicem separantur, & unicuique quodammodo diversam contingere, argueret, formatrices vires chemicum cum substantiis, in quas agunt, nexus servare, vel ex communi quasi gelatino chao nunc similes partes se attrahere.

In capite principio in basi tantum paucam cartilagineam separari materiem, notandum est.

b) Vertebrarum distinctio & costarum artuumque evolutio cum primis pelvis rudimentis una eademque periodo evenire videntur. Die vigesimo secundo Haller¹⁴¹), vigesimo quarto Kuhlemann¹⁴²) in ove artus vix ex trunco prodeentes, transversas in thorace lineas & signa vertebrarum observabant. In fœtu damæ, magnitudine fabæ majusculæ, ubi partes jami omnes clare & distincte dignoscuntur, Harveus¹⁴³) per interiora pectoris exiles quasdam & capillares lineas candidissimas occurrentes vidit. Et in fœtu humano vix minore, quam nosterembryo⁴¹. dierum erat, Cel. Blumenbach & artuum initia

H 2

&

¹³⁹⁾ vid. famigeratissimi Humboldt Versuche über die gereizte Muskel und Nervenfaser. 1797. fig. 61. &c.

¹⁴⁰⁾ idem l. c. pag. 433.

¹⁴¹⁾ loc. cit. p. 72.

¹⁴²⁾ loc. cit. p. 52.

¹⁴³⁾ loc. cit. p. 301.

& costarum inchoamenta delineavit¹⁴⁴⁾, alioque in loco¹⁴⁵⁾, ut nos, ad prius secundi mensis dimidium inchoamenta, in spina dorsi & pectore, futurorum ossium distingueda retulit.

§. 13.

In embryone 52. dierum primo observatum fuit superioris maxillæ inchoamentum¹⁴⁶⁾; in superiore cavi oris pariete utrinque exstebat parva ruga, versus anteriora cum socia convergens, ipsi tamen non juncta; spatium his duabus rugis inclusum anterius, sub forma duorum sinuum, inter laminas involucrorum crani ascendebat ad oculos usque, ductibus lacrymalibus, ut videbatur, finitum, mediaque in longitudine puncta narium parieti anteriori impressa gerens. Et in embryone 58. dierum cavum narium nondum a cavo oris sejunctum erat, sed apertura magna formam ungulæ equinæ referens, integro quidem margine anterius cancellata aderat; margo hujus in narium cavum amplissimi

144) Specimen physiologiæ comparatæ inter animalia calidi sanguinis vivipara & ovipara. Gœtt. 1789. fig. 1. Vitium hic aliquod subreplicis videtur, minime enim hic embryo formicæ quoad magnitudinem potest comparari; apis magnitudinem embryoni æque adulto ipse Blumenbach alio in loco (Bildungstrieb p. 103.) tribuit: ambos vero embryones pro junioribus, quam sunt, sumi, fere persuasius sum. Doleo in definienda tenellorum embryonum magnitudine apud aceratissimos ceteroquin autores sermonem tantum de formicis, muscis, apibus, quin grano hordei, ervo, faba & nuce moschata esse. vid. Danz, Ruyfchium, Harvenum l. l. c.c.

145) Geschichte der Knochen pag. 7.

146) Memorata dignum esse & communem quandam causam probare videtur, eodem tempore, quo intus narium cavum formatur, exterius prorumpere auriculas, & digitos artuum superiorum, quorum incrementum maximam partem pari passu cum capitis turgore it, & vix ante quoque genitalia elevari externa, (pedibus quoad digitos adhuc remanentibus); quod ad ideam, quam inter alios magnus Harveus protulit, facere videtur, qui ingeniosissime primus cerebrum & uteri adventitiam in graviditate substantiam, & idearum fœtuumque conceptionem comparat.

plissimi aditus, ferream equi soleam figura referens, utroque crure in plicas abiit, ad linguæ radicem descendantes, intensas, futuronum crurum veli palatini primordia. Narum dissepimentum sub forma laminæ prominentis, crassiusculæ, egregie formatum erat, obtuso suo inferiori margine linguae sulco insidens. Ascendebant cavitates nasi ad laminationem cribrosam usque, ibi tenui tantum membrana a cerebro sejunctæ. In parietibus quatuor jam pro ossibus turbinatis apparuerunt membranaceæ prominentiae, cum sensuum in fœtu organis inferius describendæ. Nares remoto operculo exiles, conicæ, rotundo foramine in meatum, qui inter maximum &, quod sequitur, os turbinatum est, hiant¹⁴⁷⁾ Infimum os turbinatum margine in cavum oris prominet. In embryo 70. dierum palatum perfectum apparuit.

a) Cum his embryonibus palatum non fissum, sed potius nullum esset, cruraque veli palatini elongata apparerent, nullumque labium leporinum, quod hac ætate jam in embryonibus reperiebatur¹⁴⁸⁾, adesset, credo non monstrosum, sed naturalem hunc faciei statum esse, in hoc integris amphibiorum & avium ordinibus adjutus, quibus nares perpendiculariter in cavum oris hiant, nec palatum ambo cava sejungens osseum, (vel tantum brevissimum,) nec velum palati molle transversim extensum¹⁴⁹⁾, sunt; & in delphino, (ut plura cetacea,) aves & præsertim anseres maxillis & naribus, in medio capite hantibus, æmulante velum palati deest. Quæ vero ossea substantia hac parte supereft, in avibus & cetaceis antrorum exorrecta rostrum formare videtur.

b) Ut

¹⁴⁷⁾ Respondent quoque in adulto huic meatui magis, quam inferiori vel superiori. vid. Scarpa anatomicarum annotationum liber secundus. Tab. II. fig. 1. 2.

¹⁴⁸⁾ Soemmering Beschr. d. Missgeb. pag. 32.

¹⁴⁹⁾ Palatum plurium ex his ordinibus animalium egregie delineatum continent magni incisoris Scarpa Disquisitiones anatomicae de auditu & folactu. Ticini. 1789. Tab. III: fig. 1 — 7. Tab. V. fig. 1. 2. 8. 10.

b) Ut in piscibus plane nullum a cavo oris ascendit narium cāvum, & olfactus organon nil cum ore commune habet, in amphibiis, avibus & cetaceis vero nāsi sinus usque ad nares ascendunt olfactus organon continentēs, in aliis ad frontem vero, in plerisque mammalibus in frontis os ipsum usque percurrunt, (& in elephante tandem longe organum olfactus supergredientes in occiput usque extenduntur: ¹⁵⁰) eodem fere modo in embryone oris cavum primo superius integerrimum, (ut nostris in embryonibus 41. & 44. dierum,) tum duobus processibus ad nares & ductus lacrymales ascendit & paulo post distinctius ad laminam cribrosam & frontem usque; tandem in infante jam nato os frontis ipsum ingreditur sinuum frontalium sub forma. Similis & ad latera expansio saltim in humano fœtu adest. Et hic laminarum, quæ horum sinuum parietes formant, intercapedines modo simili, quo laminæ electrometri, (utrinque atmosphæra electrica sensu se augente,) a se invicem recedunt, augeri videntur; quod vero magis bullarum species referant, forsitan operculis, aditibus tam universalem secundum legem superstructis tribui debet, si & his sua est atmosphæra.

§. 14.

Quoad divisionem cavi narium ab oris cavo, memoratu mihi dignum videtur, in fœtu nostro 116. dierum, cui palatum sinstro

¹⁵⁰) Blumenbach Osteologie p. 103. In elephante non solum frontales sinus, verum & maxillares, ut in maxilla elephantis Africi video, cellularum mastoidearum quasi forma extensi sunt, ut minus videantur organo olfactus inservire, quam ingens caput, cui certam natura destinavit extensionem, levius, (ut cellulæ aëriteræ ingentes quartundam avium maxillas,) reddere, quod strenuo saltim observatori Camper v. kl. Schr. I. B. p. 84. quoque arridet. Deest hæc structura, quantum scio, omnibus majoribus, saltim terrestribus, mammalibus, hippopotamō rhinocerotī certe; adest vero ut ossium fragmenta me docuerunt, in fossili Americae stagnorum elephante, qui singulari structura fundi narium super palato, illi (Africani saltim) elephantis simillima & proboscidis speciem habuisse testari videtur.

stro in latere fissum erat, solum ad dextri integri narium cavi exitum in faucibus, arcuum, ex velo palati ad linguæ radicem properantium, & uvulæ vestigium apparuisse, nullum autem in fisso palati sinistro latere.

a) Plerumque, ubi osseum palatum fissum est, molle palatum tantum in sano hærere latere, Cel. Richter ait,¹⁵¹⁾ & arcus palatini in omnibus animalibus desunt, quibus narium cavum nullo retrorsum tracto palato ab oris cavo sejungitur, (aves palatum naturaliter fissum habent.) Figura quoque, communis in embryone narium & oris cavorum aperturæ, ungulæ formis; & magis adhuc clausi in foetu, cui magis oblonga est, quam adulto, palati forma jam docet, non solum laterum transversa, sed præcipue anterioris marginis retrorsum tracti excrescentia claudi palatum. Hinc non mirandum van Swieten¹⁵²⁾ & Jourdain¹⁵³⁾ vidisse aliquos, quibus a nativitate labium superius integrum erat, & tamen fornix palati a parte posteriori magnam fissuram monstrabat, quæ facile apicem digiti minimi capere poterat; hic formatio palati ante integrum perfectionem substituisse videtur. In omni palato fisso rimam ampliorrem fieri, quo magis pharyngi appropinquat, auctor est idem Jourdain. Quantum conferant ad claudendum palatum musculi palato-glossi & palato-pharyngaei,¹⁵⁴⁾ qui iis arcubus palatum retrorsum trahentibus continentur, decidere non audeo. In pa-

151) Anfangsgrinde der Wundärzneikunst. II. Band. 7. cap.

152) Commentaria. Tom. V. Hildburgh. 1765. p. 678.

153) Journal de médecine Paris. 1773. Tom. 39. p. 163.

154) Exiles in adulto musculi non eandem in embryone ad corporis molem habent proportionem; omohyoidem & omnes colli musculos insignes in embryone 121. dierum, & subclavium in embryone 104. dierum, tempore, quo glutæ adhuc valde exiles erant, ratione corpuseuli maximum vidi; vires plasticæ singulorum organorum secundum suos ordines quidem æquales in atenam descendere, mox vero multis sub vicissitudinibus alii alias cursu superare videntur.

lato vitoſe fijo, ut ex ſupra dictis patet, nil niſi remanens na-
turalis in tenello embryone ſtructuræ configuratio, eſſe videtur.
Frequentia vero exſtant exempla, ¹⁵⁵⁾ naturam poſt ſolam
fiffuræ labii unionem, artis ope factam, ſponte claudere osseum
palatum: ut hic fere, posteriora versus quoque premendo, tensio
labii ſuperioris fanati, quainvis leviflima, conſerre ad primum
coalitionis oſſium incrementum videatur, ſaltim Cl. Levret, ¹⁵⁶⁾
palatum osſeum claudi non poſſe, credit, niſi antea labii vulnus
fanatum ſit, & fasciæ unientis locum fanati labii tensionem tene-
re. Cum vero non ſemper natura claudat palatum fiffum, quan-
doquidem labium fanatum ſit, minus tutum videtur, totum hoc
opus naturæ relinquere. Quædam forſan non ſternenda, ad
chirurgiam pertinēta, hinc ſequi mihi videntur. Et quidem
efficitur inde, preſſionem ab anterioribus versus po-
ſteriora eadem p̄r̄ſtare, quæ retractio marginis
maxillæ facit; compressionemque malarum lateralem ne qui-
dem multum ad fanationem collaturam eſſe, etiam ſi loci de-
fectus, ubi machina vel tafcia ad hunc ſcopum firmari poſſit,
non obſtet; nec forſan a ſcarificatione marginum fiffuræ omnia
poſſe exspectari; ſed preſſionem probe fanato labiorum vulnere
maxime ab anterioribus ad posteriora eſſe instituendam. Hic
locum renixus in occipite haberemus egregium & convexitas ma-
xillarum ſuperiorum versus anteriora firmitatem appetui, qui
in lateralī preſſione deſt, conciliaret, & loci latitudo dolorem &
inflammationem impediret.

b) Simul preſſio lateralī ¹⁵⁷⁾ illi ab anterioribus versus
poſte-

155) Richter l. cit.

156) Journ. de med. l. c. p. 543.

157) Jourdain, qui ridiculam hypothefin proposuit, labium leporinum & pa-
latum fiffum diſtractione partium harum oriri, quam embryo ipſe pugnis ſuis,
faciei adnotis, cauſatus ſit, omnem preſſionem ab anterioribus versus poſte-
riora tanquam noxiā declarat, timens ne rima a fine posteriori eo amplior
reddatur, quo magis oſſa anteriori parte ſibi iñvicem appropinquent. Fac-
hæc vera eſſe, preſſio lateralī hie, illi ab anterioribus versus posteriora, ju-
cta omnem noxiā auſteret.

posteriora vergenti jungeretur, nec oris usus tolleretur, si semi-circuli vel ephippii, ex chalybis lamina parati, species maxillæ superiori applicaretur, cuius alterum crus latere in manco minus curvatum sit. Illa lamina latitudinem distantiaæ a narium septo ad labium superius, & longitudinem crurum utrinque a septo narium ad processum molarem haberet, & simul modo fabricata esset, ut margo ipsius superior parum brevior angustius includeret spatium, quam inferior, ¹⁵⁸⁾ & eo ipsa modo flexa esset, ut superiori maxillæ accommodata, minus eam commode fusciperet. Obducenda hæc lamina esset subere vel pilis equinis & molliori corio eodem modo, quo opercula in fasciis, herniis dicatis, teguntur, quæ quidem sine læsione mollium partium & infantibus applicantur. Lata corii firmioris tænia per frontem & occiput capiti circumducta, duplicata & latior in occipite, & duabus ansis ibi prædicta, sufficeret, ut ligularum firmarum ope crura ephippii, elata ansa (cui affigeretur ligula) ad finem ipsorum exterius prædicta, (ne tænia adducente utrinque parotis prematur, cruraque ipsa retrahendo a maxillæ superficie nimis eleventur,) ibi modo firmantur, qui singulis diebus illa parum magis retrorsum versus nucham trahere concederet; quæ nucha in junioribus altius descendit, quam in adultis. Filum utrinque ad latera nasi ex ephippio ad tæniam in fronte asceñdens, ibique firmatum impediret, quo minus retrahendo crura medium anterius ephippii deorsum nimis tendat. Ephippium applicaturo necesse esset, antea labium superius digitis, mento ægri suffultis, versus anteriora quasi colligere, (ne retrahendo machinulam cicatrix in labio nimis diducatur,) & tum diductis antea ephippii cruribus illud imponere. Hoc mihi naturæ maxime consentaneum ¹⁵⁹⁾ adjumentum, ubi ipsa

158) Cum plerumque in palato fisso margo maxillæ mutilatae palatinus superiora justo nimis respiciat, extremitas vero ossis, quæ orbitam & frontem respicit, sepius justo magis ad exteriora versa appareat, hanc laminæ ephippii formationem necessariam censerem, quæ insuper, ubi illud vitium deest, melius maxillæ se accommodabit.

159) Verdue semicirculo ex chalybe comparato, per nucham ducto, elasticò, &, quesnai

ipsa deficit, esse videtur, & methodo agere ipsius modo, palatum formandi, maxime analoga, & simplicissima, minimisque incommodis comitata. Quam Cel. Richter¹⁶⁰) proponit, scarificatio easdem secundum naturæ regulas mihi videtur primo in apice fissuræ anteriori incipienda, & demum hoc, pressione contulito, sensim versus posteriora continuanda esse.¹⁶¹) Objicere posses, scarificationem marginis fissuræ nequaquam laminæ palatijæ defectum tollere posse, hujus laminæ excrescentiam alliciendo. Verum nec hoc necessarium est, nam ubi natura sola palati fissuram delet, manca maxilla nihilominus minor manet, faciesque illo in latere impressa. vid. Bertrandi Traite des operations de Chirurgie Paris 1769. pag. 387.

§. 15.

Ut ea, quæ de labio leporino vel potius palato fisco nostro in embryone observavimus, omnia prodamus, quædam, quæ de structura palati ossi in fœtibus tenellis vidimus huc spectantia, hic anticipare necesse erit. Reperi futuram maxillæ superioris incisivam, (quam veterum anatomici fere omnes notant, & Fallopious¹⁶²) jam expressis verbis, inferius tantum hiare in recens natis infantibus, in facie nullam adesse,) in teneriori embryone 104. dierum, & adhuc in fœtu 121. dierum per faciem ossis quoque

Quesnai (vid. Journ. de med. l. c.) semiciculo suo ex balæna cornu comparato in anteriorem quoque præcipue partem maxillæ pressionem, direxere & quidem non infelici successu. Plane vero oppositam nostræ methodum fecenti sunt, partes, quas comprimere voluerunt, insimul anteriora versus trudendo, quod naturæ agendi modo prorsus contrarium videtur vid. §. 9. not. b. Insuper magis mollibus tantum partibus apparatus hic inservit, quam ossis.

160) loco eit.

161) Multum tum ad sanationem conducere posse, ex eo mihi verosimile redditur, quod ad margines fissuræ nisus, quovis modo se extendendi, maneat. Sic Schurigins in Syllepsilogia (Dresdæ 1731. edita, pag. 571.) exemplum, quod ipse vidit, narrat de infante, cui labium superius totumque palatum fissum erat. Dentes fissuræ proximi in utroque latere illi incredibiliter & ad perfectam magnitudinem intra quatuor dies progrescebant, ut papillas matris apprehendere & hoc modo sugere posset, quod primis diebus impossibile erat.

162) Observat. anatom. pag. 25. b.

quoque malarem in latera narium excurrentem, & sic distinctissimo modo ossa formare intermaxillaria,¹⁶³⁾ (ab unico, quantum scio, Nesbitt¹⁶⁴⁾ adjutus, qui ossa maxillaria quidem per omne vitæ tempus futuram incisivam monstrare, quarto vero mense utramque superiorem maxillam ibidem, inde ab interstitio incisivis & caninis dentibus interposito usque in fundum cavitatis narium, in duo ossa distincte separata divisam esse afferit. Cel, Blumenbach¹⁶⁵⁾ in crâno fœtus, interno hydrocephalo laborantis, uno in latere hoc os intermaxillare vedit adhuc separatum, ut proprium ossiculum manserit, credere tamen videtur, separatum deum fuisse, non separatum mansisse.) Ossicula hæc, in embryonibus nostris 104. 116. 121. dierum illustrata, quodammodo integræ superioris maxillæ formam referre vîta sunt, juncta spinam nasalem, septo narium subjectam forniabant, tum utrumque eorum sinuato superiore margine ad latus extendebarunt, laminamque parvam in latere narium externo ascendentem, superius acutam, & marginem inferiorem & lateralem aperturæ narium formantem exhibuit; huic processui nasalì ad angulum fere rectum alia lamina minima horizontalis, palati anteriorem finem cum fœcia formans, affixa erat; margo, in quo ambæ illæ laminæ, palatina & nasalis, conveniebant, alveolaris margo erat, alveo'os pro dentibus incisivis utrinque duos magnos exhibens. Si methodo, qua osteologi utuntur, describere ea ossa velis, diceres, tres ipsis superficies esse: palatinam unam; narium cavum respicientem alteran; & tertiam facialem; duos processus: anteriorem unum & magis internum, minimum, vix ascendentem pro spina nasalì, hic adhuc admodum obtusa; externum magis alterum & ascendentem, ad latera narium exstruenda concurren tem; & quatuor margines: posteriorem nempe quasi in duas par tes

I 2

163) Inter maximi momenti exempla, quæ hominem in utero ex inferiorum animalium statu in formam ipsi propriam evolvi demonstrant, ossa hæc intermaxillaria numeranda sunt, si defectus eorum in adulto ad essentiale hominischaracterem evchitur.

164) l. c. pag. 58.

165) in Osteologia, pag. 195.

tes divisum, cuius ope & processus ossium intermaxillarium nasalium & lamina ipsorum palatina cum osse maxillæ superioris ejusdem lateris cohærent; anteriorem liberum, sinuatum, aperturæ narium marginem inferiorem & lateralis marginis imam partem efficiem; inferiorem internum, priores ambo margines in palato jungentem, cum socii ossis margine junctum, & qui ad formationem foraminis palatini antici confert; tandemque limbum alveolarem, qui corpus quasi totius ossiculi constituit. Inter priores tres margines ultimo cum maxilla coalescit inferior pars posterioris marginis¹⁶⁶), suturam illam incisivam formans; inferior internus seu palatinus margo nunquam cum socii ossis margine conferruminatur. Lamina nasalis ossis intermaxillaris fibrosa appetet, ut processus nasalis superioris maxillæ, de quo infra.

Coësistere hæc ossa distincta & in homine cum maxilla, (ut in foetu,) protractiore, memoratu dignum est.

In embryone nostro 116. dierum ambo hæc ossa intermaxillaria bene formato septo narium solito modo adhærebant, verum in sinistro latere magno hiatu ab osse maxillari sinistro distabant. Fissura hinc orta totam laminam palatinam maxillæ superioris sinistram & ipsius ossis palatini a vomere¹⁶⁷) sejungit, quem

166) Amicissimus mihi D. Klein monstravit ex egregia sua craniorum foetuum collectione, qui cerebro carentes vel potius cerebro in carnosam substantiam mutato nati erant, plura, in quibus aperta adhuc futura incisiva sulcum seu ramum inter primi & secundi dentis incisivi alveolum, Albino jam notum, melius vero a Soemmeringio vid. Bau. d. m. K. I. B. pag. 160. descriptum, misit, ut fere videatur, principio unumquemque alveolum incisivum, quin caninum interdum, proprium formasse ossiculum, verum, jam ante coalitionem ossis inter maxillaris cum maxillari, ossi socio junctum. Dari plures palati fissuras, quæ per hunc suturæ incisivæ ramum crumpunt, ex eo suspicor, quod frequentia palati utroque latere fissi dentur exempla, in quibus ossa intermaxillaria, septo narium juncta & media inter ambas fissuras, duos tantum dentes incisivos exsertos exhibuerunt. vid. ex. gr. De la Faye observationes de labio leporino 1. z. & 5. in Memoires de l'academie royale de Chirurgie. Paris 1743.

Tom. I. p. 605.

167) Blumenbach I. c. p. 221, vomeris margine inferiore deorsum protruso findi pala-

ne minimum quidem margine suo inferiori planum palatinum, descendendo, supergrediebatur, sed solito modo dextræ maxillæ junctus integrum ibi nasi cavum dextrum¹⁶⁸⁾ constituebat. Maxillæ & ossis palatini laminæ palatinæ, quasi ad latus externum retractæ, marginem solummodo obtusum, secundum palati longitudinem excurrentem, formabant.

a) Primus mihi Harveus¹⁶⁹⁾ videtur labium leporinum, quamvis parum obscurius, ex naturali palati in principio defectu, progressu temporis non coaliti, explicare, scribens: "Eandem ob causam, nisi fallor, multi nascuntur cum labro superiori fisso, quia in foetus humani formatione superiora labra tardissime coalescunt." Quæ vero causa sit, cur labium quoque extremum fundatur, & cur fissura hæc semper inter os intermaxillare¹⁷⁰⁾ & maxillare intercedat, difficilius explicatu mihi videtur. Cel. Blumenbach¹⁷¹⁾ plurimis in simiis & minoribus animalibus ambo ossa intermaxillaria, (quæ semper in animalibus a maxillariis discerni possunt,) uno ex osse constare, auctor est; hinc faciliter inter os maxillare & intermaxillare discrimen, quam inter duo ossa intermaxillaria ipsa, esse videtur, ut quoad labium quoque leporinum in homine omnis evolutio retardata speciem vere animalem, perpetuo manentem exhibeat. Quæ vero causa sit hujus deformitatis, num ossium in margine primaria deformitas?

an

palatum, asserit; tum vero fissura videretur debere per medium maxillam superiorem excurrere.

168) Interdum natura id narium cavum, quod vitiose apertum est, margine ossis turbinati cum lamina palatina superioris maxillæ coalito, quodammodo claudit, cuius exemplum Jourdain l. c. refert. Hic necessarium videtur, cultro iterum duo hæc ossa sejungere, priusquam fissuræ tentetur compressio.

169) loc. cit. pag. 320.

170) Lubenter fateor, me ab intimo mihi D. Jæger, (qui cum D. Scherer Goettlingii circa phosphorum in ære phlogisticato lucentem instituta experimenta primus in Germania ad trutinam vocavit,) primo attentum ad id redditum esse, quod labia leporina omnia ad latus, forsan inter intermaxillaria & maxillaria vergant, & similis corii jaætura, rubro epithelio teæta in craniis foetuum, quæ cerebro & cranii teste carent, occurrat.

171) loc. cit. pag. 196.

an fissura labii primaria? non audeo decidere. Molles partes, vel anteriores vel posteriores, vitii causam esse & supra adducta de velo palati argumenta & exempla labiorum fissorum, palato integro manente, experimentaque, quod labii vulnere sanato sponte coalescant ossa, monstrantia, probare videntur: Pechlini¹⁷²⁾ vero observatio, qui frontem infantis, sub qua sagittalis sutura in nares usque descendebat, (hians: videtur interponi debere, omni enim infantis sagittalis sutura in nares usque descendit,) ad pollicis latitudinem diffusam & hiulcam fuisse, narrat, quæ vero biennio post lente coalescere frontique formam redonare coepit; deformationem primariam ossium, mollium quoque partium fissuras producere doceret. Num hiatus palati naturalis ex defecitu veli palatini non clauditur¹⁷³⁾, & tum demum ob fissuram in osse labium superius finditur? an simplex labium leporinum, cui fissura in palato nulla juncta est, solummodo ex paulum retardata unione ossis intermaxillaris cum maxillari oritur?¹⁷⁴⁾

c) Memorari tandem debet labii leporini integumentum epithelio oris & labiorum simillimum esse, ut minime fere epithelia tantum cutis propagationes esse videantur; acuta linea, in oris margine palpebrisque, epithelia a cute sejungens, quæ facit, ut orificia hæc, cutis quasi vulnera apparent, jam universaliter receptam hanc opinionem infringere debuisset, nec multum Cel. Wrisberg¹⁷⁵⁾ his membranarum propagationibus favere videtur, quæ fere omnes ad logomachiam redeunt.

§. 16.

Quoad reliquas, (excepta prima faciei & nasi formatione,) mutationes involucri capitis, observabatur in embryone 44. die-
rum

172) Observ. med. phys. Lib. III.

173) Hic notandum est, superiores maxillas in principio hiangs spatium inter marginum suorum anteriores fines relinquere, hinc forsitan & marginis, superioris maxillæ, fissura explicanda est. vid. descript. embryonis 52 dier. in §. 13.

174) Et nostrum labio leporino deformatum embryonem hydrope laborasse, & quidem universali, hic in memoriam revocasse sufficiat.

175) Sylloge commentationum anatomicarum. Gœtt. 1786. I.

rum jam oculum inter & auris regionem plica membranacea sat-
tis alta basin cranii transversim dividens. Duplicem hanc plicam
esse, rugis duabus sibi invicem parallelis, & quoad basin se fere
tangentibus, constantem, embryo § 3. dierum docuit. Cranii ba-
sis in duas partes his plicis transversim excurrentibus divideba-
tur; anterior horizontalis planiuscula erat, & in embryone § 8. die-
rum jam oblonga & profunde impressa lamina cribrosa, ex qua mi-
nimas processus gallinaceus, (tempore, quo vomer quoque lucu-
lenter observandum se præbuit,) emergebat, divisa erat; posterior
baseos pars in occipitis infundibulum verticalis fere descendebat.¹⁷⁶⁾ Spatium angustissimum plicis interjectum & in em-
bryone § 8. dierum nil fere nisi sulcus in margine priorem cranii
partem a posteriori dividente erat, tamen jam intelligi potuit,
sellam turcicam, & foveas medias ex illo formari¹⁷⁷⁾; ephippium
egregie jam distinguendum erat, quamvis ab anterioribus
versus posteriora compressum, processibus clinoideis egregie jam
elevatis; foveæ pro lobis cerebri mediis angustissimæ, profundæ,
ad latera sellæ turcicæ se extendunt, & jam luculentissima pro
transitu nervorum paris quinti foramina ostenduntur, ut quoque
in cartilagine ossis petrosi jam meatus auditorius internus hoc in
embryone exsculptus est, & fossa lacera inter illam & occipitis
cartilaginem sua foramina monstrat. Longissimus apparuit pro-
cessus basilaris; cartilagineis petrosi forma pyramidem compressam,
obtusiusculam, fere verticalem, descendantem exhibuit. Tota
cranii basis, ephippium præcipue & pars petrosa, cartilaginea hoc
in embryone apparuit; tectum vero cranii adhuc mere mem-
branaceum, jam in embryone § 2. dierum habitu suo membra-
naceo, minus pellucido a substantia baseos reliquarumque car-
tilaginum firmiori, magis pellucida & potius gelatinam induratam
referente, distinctum erat.

In facie interim embryonis § 8. dierum zygoma sub forma
fili cartilaginei a maxilla ad cartilaginem squamosam ossis tempo-
rum, albam, dilciformem properabat. Maxilla inferior, quæ
jam

176) Confer §. 9. not. b.

177) Confer §. 9. not. c.

jam in embryone 44. dierum maxima apparuit, hoc in foetu longum tenuem processum condyloideum, brevemque coronoideum monstrabat, quorum prior distincta jam articulatione cartilagini ossis temporum, mediante pulposa parva protuberantia, ante meatum auditorium externum junctus erat. Ambo processus si a se invicem diducebantur, uterque laminam maxillæ, condyloideus externam, coronoideus internam secum abripuit.

Quoad¹ truncum in periodo inter separationem cartilaginis a communi integumentorum massa & ossificationis primordium hæc observabantur: Crassa columna vertebralis circumscripta sub forma jam in embryone 52. dierum satis alte in thoracis cavum prominuit, vertebrarumque divisio, circa lumbos perfecta, minus luculenta in thorace observanda fuit; vertebræ in embryone 58. dierum in thorace magis prominuere, in collo & sacro osse planiores fuerunt. Costæ in embryonibus 52. & 53. dierum sensim luculentiores, in embryone 57. dierum interna superficie ex musculari integumento distinctæ prominebant. Non solum in embryone 57. dierum sternum brevissimum manifestum erat, sed jam in embryone 55. dierum cartilaginis xyphoidæ vestigium aderat. Scapularum & extremitatum longæ cartilagines circumscriptam formam in embryonibus 52. & 53. dierum jam obtulerunt, & articulationem brachii cum antibrachio & quinque manus cartilagines ostenderunt, quæ demum cute detracta in pedibus quoque apparuerunt. Manus facilius ab antibrachio distracta hitur, quam antibrachium ipsum in duas partes abit. Pelluentes hæc cartilagines, & gelatinæ firmiori similes tantam jam firmitatem nactæ sunt, ut cutem de ipsis detrahi patiantur, & faciliter ad suas apophysēs dilacerentur, quam in diaphysi.

§. 17.

Tempore, quo tam celeri passu cartilaginea substantia ex integumentis suis evoluta ad perfectionem tendit, nec molles partes restant. Jam in embryone 53. dierum, melius vero in illo 56. dierum, distincta communia integumenta a pericranio detrahi potuerunt, & interne dura mater tanquam propria membrana se prodidit, & in embryone 58. dierum jam pia mater dignosci potuit.

tuit. In embryone 52. dierum artuum cartilagines jam rutila carne circumdatæ erant, & musculi distincti apparuerunt, ut ex. gr. musculus deltoideus formatus fuerit; embryo 57. dierum & minores jam musculos, ut sternocleido mastoideum, egregie observandos exhibuit. In embryonibus 53. & 55. dierum distinctiones carnes inter & cartilaginiæ, integumentaque communia & externa, ut cutem, & interna, ut plevram & peritoneum, quæ ultima detrahi jam a reliquis involucris potuerunt, facilissime observanda erat. Observatum est in tenellis his embryonibus plicas & duræ matris & peritonei jam crassas fuisse, quando eadem membranæ, ubi parietes vestiunt, tenuissimæ adhuc vix apparerent.

Chao gelatinæ, viscera circumdantis, in cartilaginiæ, & musculos cutemque, & plevram cum peritoneo & dura matre, æquali fere passu evoluto, describenda nunc essent, ossificationis magnum opus, & mollium partium singulæ, & ingens viscerum structuræ ab adulto differentia, & simplicissimus modus, qui ea, ut omnia reliqua producit, verum tempus & instituti ratio hic subsistere suaserunt:

Addenda & Errata graviora.

Adde pag. 32 lin. 12 post: magis — quam in adulto,

— — 46 — 11 — In nullo — excepto didelphidis gigantex. L.,

Descriptio enim hujus foetus a Cl. Home tradita (vid. Reil Archiv für die Physiologie II. B. 3. Heft.) gravitatis in embryonem humanum efficaciam egregie illustrat. Cavum uteri erecte incedentis matris, ut in homine, deorsum tenditur. Caput vero embryonis didelphidis, procul dubio quoque deorsum propendens, tunc temporis satis crassum est, & anteriores pedes magni robusti sunt, & posteriibus longiores & crassiores, magis quam communiter mammalium embryonibus contingunt. Mox utero exclusus embryo in bursa abdominali ore suspenditur, & nunc posteriores pedes, in erecto matris situ necessario inferiores, demum in tantam longitudinem tautumque in robur tensim ex crescunt, quanta in illis in adulto Känguru spectantur. Simillimæ, quoad genitalia precipue, reliquæ didelphidis species quadrupedam formam retinent, quia jam ipsarum matres, quatuor pedibus incedentes, foetus suos & in utero & in bursa abdominali horizontali situ decumbentes gerebant. Adulto quoque Känguru obtusius adhuc quam congeneribus caput est, embryoni vero humano, (qui multo longius per tempus in utero manet) caput, quo longius per tempus deorsum propendet, eo minus caninum.

Lege pag. 9 lin. ultima tenellæ pro tenelli

— — 10 — 2 circumducta — circumductus

— — 23 — 9 alis — aliis

— — 24 — 22 pinna — prima

— — 34 — 26 formam — formum

— — 46 — ultima situ — situ
